


QUO MODO BEMBINUS LIBER
AD ORATIONEM TERENTII RESTITUENDAM
ADHIBENDUS SIT

Hanc unam comprobamus editionem atque in publico proposuimus

QUO MODO BEMBINUS LIBER

AO ORATIONEM TERENTII RESTITUENDAM

ADHIBENDUS SIT

SCRIPSIT

G. RAMAIN

PARISIIS
APUD C. KLINCKSIECK, BIBLIOPOLAM
11, Rue de Lille, 11

1904

MEMORIAE

LUDOUICI DUVAU

DOCTISSIMI MAGISTRI . AMICI CARISSIMI

GRATUS . PIUS

D. D.

BIBLIOGRAPHICUS INDICULUS

P. Terenti comoediae. — Edidit et apparatu critico instruxit F. Umpfenbach. Berolini, Weidmann, 1870.

P. Terenti Afri comoediae. — Recensuit Carolus Dziatzko. Lipsiae, Tauchnitz, 1884.

Ausgewaehlte Komoedien des P. Terentius Afer. Erklaert von K. Dziatzko. Phormio. Dritte veraenderte Auflage. Bearbeitet von Dr Edm. Hauler. Leipzig, Teubner, 1898.

Codices graeci et latini photographice depicti duce Scatone de Vries bibliothecae Universitatis Leidensis praefecto. Tomus VIII. Terentius. Codex Ambrosianus, H. 75. Lugduni Batauorum, A. W. Sythoff, 1903.

Conradus Sydow. — De fide librorum Terentianorum ex Calliopii recensione ductorum. Berolini, Mayer et Mueller, 1878.

H. Schindler. — Obseruationes criticae et historicae in Terentium. Dissert. inaug. Halis Saxonum, 1881.

F. Leo. — *Die Ueberlieferunggeschichte der Terenzinischen Comoedien und der Commentar des Donatus*. Rheinisches Museum für Philologie, 38 (1883).

G. Prinzhorn. — De libris Terentianis quae ad recensionem Calliopianam redeunt. Gottingae, officina academica Dieterichiana, 1885.

Edm. Hauler. — *Palaeographisches, Historisches und Kritisches zum Bembinus des Terenz*. Wiener Studien, XI (1889).

— *Textkritisches zum Bembinus des Terenz*. Wiener Studien, XII (1890).

K. Dziatzko. — *Zur Frage der Calliopianischen Rezension des Terenz*. Commentationes Woelfflinianae. Lipsiae, Teubner, 1891.

K. Dziatzko.— *Aus und über Terenzhandschriften.* Rheinisches Museum für Philologie, 47 (1892).

F. Schlee. — Scholia Terentiana. Lipsiae, Teubner, 1893.

R. Kauer. — *Zu Terenz.* Wiener Studien, XXII (1900).

John Calvin Watson. — *The relation of the scene-haedings to the miniatures in manuscripts of Terence.* Harvard Studies, XIV (1903).

PROOEMIUM

1. Qui scriptoris cuiusdam ueteris orationem emendare ac restituere sibi proposuerunt, eum librum potissimum ducem sequi decernunt qui sibi antiquissimus omnium scriptura uideatur. Haud immerito quidem. Nam uerisimile est illum cum etiam antiquioris libri imaginem proxime referre, tum minus corruptorum eorum uerborum recepisse quae singulis aetatibus singuli librarii uel imperitia uel neglegentia fingere aut admittere solent. Quanquam, dum tali libro temere confidunt, periculum est ne saepius decipiantur, siue ille, ab eodem exemplari quo ceteri profectus, uitio tamen librariorum pluribus mendis inquinatus est, siue recentiores libri meliorem stirpem profiteri possunt atque meliora uerba afferre. Itaque non praeferendus erit liber uetustior quia uetustior, sed quia dignior reperietur qui primum locum obtineat.

2. Primum igitur diiudicandum est quo fonte cadat ille, proprione an cum aliis quibusdam uel cum uniuersis omnibus communi; si proprio, tum inuestigandum quibus indiciis, quae in numeris, in uerborum usu structuraue, in recte scribendi scientia latent, ex uetustiore aut recentiore exemplari ortus agnoscatur; sin

autem communi, diligenter examinandum num puriore riuo aut turbidiore, hoc est per meliorem aut deteriorem librum, ab illo fonte defluxerit. Praeterea inquirendi sunt mores illius qui eum descripsit. Nam librario cuique sua sunt uitia suaeque uirtutes; aliis imprudens currit calamus, aliis cautus procedit; plus minusue peccant in syllabis geminandis uel omittendis, aut in uerbis conuertendis; uocabula mutant, siue consulto, cum sibi obsoleta uidentur, siue neglegentia. Unde efficitur ut nonnumquam liber antiquior, quia pluribus uitiis deprauatus est, in eodem ordine quo recentiores collocandus sit, cum nihil magis proficere possit. Pauci tamen ex iis qui emendata ueterum opera edere curant, hanc sibi legem constituerunt, ut antiquissimum librum aeque in suspicione haberent atque ceteros. Testis ille Terentianus cui nomen Bembino est. Hic enim, utpote qui grandibus litteris scriptus sit, tantam reuerentiam nonnullis mouet, ut se eum ducem deserere numquam patiantur, nisi plane et aperte corruptum deprehendant. Qui autem eum mendosiorem esse confitentur, ubicumque neque numeris uitiosus neque sententia absurdus est, perinde ac si unus semper uera uerba praebeat, neglectis ceteris libris, eius uestigia arcte premunt.

3. Mihi uero propositum est in hoc libello quaerere quatenus Bembinus ceteris libris a Calliopio recensitis (1) praeferendus esset; semperne et ubique potior habendus, an interdum et certis definitisque locis; denique qua ratione quaque uia in Terentii oratione resti-

(1) Basilicanum (B) neglexi, quem conuenit nihil aliud esse nisi Vaticani (C) apographon; tum Lipsiensem (L), cuius Dziatzko excerpta tantummodo protulit.

tuenda adhibendus esset. Non hic igitur eruditae disquisitiones requirendae sunt. Quanquam autem in hoc opusculo scribendo non ad scientiam, sed ad artem, id est ad utilitatem, maxime respexi, si quid tamen nouum aut insigne eruero, de ceteris libris atque etiam de Calliopii « recensione » quid sentiam dicere haud pigebit. Sed consilium ut adsequerer, ex Terentianis fabulis unam excutendam elegi (1), et eam iudicaui Phormionem esse oportere, quod hanc nuper Edmundus Hauler diligentissime Bembino a Roberto Kauer recognito itemque Victoriano et Ambrosiano, multa rerum et exemplorum copia ornatam emiserit, atque eam Ludouicus Havet multis locis mire correxerit aut explanauerit (*Revue de Philologie*, 1901). Sic materies optima, quae mihi in Terentianis uerbis inuestigandis magno esset adiumento, suppeditata est (2).

(1) Qui de libris Terentianis disseruerunt (Sydow, Prinzhorn, etc.) nihil certi solidique assecuti sunt; nam iis hoc fuit commune uitium, quod, facili rerum specie allecti et capti, hinc et illinc paucos uersus arbitratu suo decerpserunt, atque comparando diiudicandoque summa tantum attigerunt, neque ad intima penetrarunt.

(2) Littera A designatur liber Vaticanus 3226 (Bembinus); litt. D, Laurentianus XXXVIII 24 (Victorianus); litt. G, Vaticanus 1640 (Decurtatus); litt. C, Vaticanus 3868; litt. P, Parisinus, latinus 7899; litt. F, Ambrosianus H 75; litt. E, Riccardianus, Flor. $\frac{\text{M}_{\text{IV}}}{\text{xxx}}$ (= 528). Uncis ( ) usus sum ad periochae uersus indicandos.

CAPUT I

DE ADFINITATE QUAE BEMBINO LIBRO CUM CALLIOPIANIS INTERCEDIT

4. Si quis Terentianos libros inter se accurate contulerit, adfinitate quadam omnes inter se esse coniunctos facile perspiciet. Nonnumquam enim in iisdem uitiatis uerbis admittendis consentiunt. Pauca quidem ex iis uerbis licet excerpere quae menti ultro occurrere, atque librarios parum attentos fallere possunt, uelut 896 *ut* pro *uti*; 315 *abisse*, 802 *redi*, pro *abiisse, redii*; 572 *aiebant*, 652 *ueniebat*, pro *aibant, uenibat*; 42 *diuitioribus* pro *ditioribus*; 302 *dixti* pro *dixisti*; 465 *multismodis* pro *multimodis*; 687 *di deaeque* pro *di deae*; 825 *siem* pro *sim*; 993 *credas* pro *creduas*; 190 *protinus* pro *protinam*, uel etiam 156 *quid istuc est* pro *quid istuc*. Reliquis uero adeo peculiaris est habitus, ut manifestum sit neque casum aliquem neque librariorum temeritatem in crimen posse uocari. Nam :

1° aut omissum est aliquid ad pedum numerum complendum necessarium, uelut, in iambico dimetro,

191. Quam hic (hinc A[1]) fugam aut furtum parat

in senario,

664. Nimium est. — Ne clama, petito hasce a me decem

in iambico septenario,

765. Nemo ex me scibit. — Sequere me ; intus cetera audies

in trochaico septenario,

1047. Satin tibi est? — Immo uero pulchre discedo et probe

2° aut uersus claudicat, quia uerbum quoddam e loco motum est,

958. Vides peccatum tuom esse elatum foras

qui uersus resarcietur, si *peccatum* ante *foras* posueris; aut quia est commutatum uel deformatum,

14. Nullum inuenire prologum potuisset nouos
598. Amicum esse quam Antiphoni. Hominem ad forum

ubi legendum fortasse *pote esset* pro *potuisset*, at certo *sese* pro *esse*.

Adde locos ubi rerum continuatio aliquo uocābulo intermissa est, cuius uis cum uicinis haud congruens est, ut *amare* in hoc uersu,

175. Retinère amare amittere; ego in eum incidi infelix [locum (1)

Denique saepius addita sunt uocabula quaedam redundantia, quibus interiectis laborant modo numeri, modo sententia una cum numeris, qualia in his uersibus,

937. [In ius *ex uersu 936*] enim uero si porro esse odiosi [pergitis
505. Neque cum huius modi umquam tibi usus uenit ut conflictares (-aris A) malo (2).
515. Optunde (- dis A). — Haud longum est id quod orat [(*om.* C[1]), Dorio, exoret sine (3)

Sed hic locus uel maxime conspicuus est,

(1) Cf. L. Havet, *Revue de Philol.* XXV (1901), p. 99.

(2) Cf. L. Havet, *op. cit.*, p. 306.

(3) Cf. L. Havet, *op. cit.*, p. 306.

788 sq. *NA.* Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur; nam <is> ex eis praediis talenta argenti bina (1)
Statim capiebat. Vir uiro quid praestat! *DE.* Binan [quaeso?
791. *NA.* Ac rebus uilioribus multo tamen talenta (duo [talenta *Call.*) bina (*om. Call.*) *DE.* Hui (2)

In uersu 791 Bentley *multo* superesse censuit, *tamen* Fleckeisen; neuter quidem recte. Nam, praeterquam quod utrumque uocabulum asseuerationi Nausistratae uim pondusque addit, unde ambo prouenerint aut cur excogitata sint nequaquam perspici potest. Ego uero *talenta* arbitror nihil neque sententiae neque orationi prodesse (cf. *binan quaeso* 790), atque a uersu 789 esse arcessitum; quod postquam supra uersum ad *bina* explanandum superscriptum fuisset, in ipsum uersum casu inductum esse. — At si tollitur id uocabulum, uersus breuior fit. — Idcirco restituam in eius locum uerbum aliud, quod necessarium esse iudico, ac scribam :

791. Ac rebus uilioribus multo tamen <ille> bina. DE. Hui

5. Quid igitur? Num audacter profitendum est Bembinum non esse ortum ex alio libro quam Calliopianos? Tantum contendere sunt qui non audeant, ita perplexa et obscura res est. Nihil est enim difficilius quam dignoscere et describere qualia essent archetypa uniuscuiusque familiae DG, CP: tot aliena receperunt. Attamen si Calliopiani libri proprium habent genitorem, ac non sibi

(1) Addidi pronomen *is* (= *pater*), quod consuetudine loquendi requiritur. Hoc uocabulum sane sublatum est propter uiciniam pronominis *eis*, quod Terentii aetate scribebatur *is*.

(2) De scriptura Bembini, uide quod Robertus Kauer opinatur apud Phormionem Edmundi Hauler, in critica appendice, p. 211.

cum Bembino communem, quis credat illum, qui eos ex alieno libro emendauerit, studiose integra uerba uitiatis commutauisse ?

DE BEMBINI PROPRIIS UITIIS

6. Quae cum ita sint, iam quaestio nostra intra certos fines continetur, quandoquidem Bembinus ad ceteros libros tanto plus uel minus auctoritatis habebit, quanto maiore uel minore cura et scientia descriptus erit. Nam si rebus in minimis et promptis culpae manifestus erit, etiam in maximis et reconditis peccauisse iure iudicari poterit; praeterea quo magis in illo communis exemplaris similitudo extenuabitur, eo magis uetustatis auctoritas frangetur. Neminem autem hoc fallit quam multis uitiis liber ille sit refertus, praecipueque iis quae librarii temeritate nimiaque festinatione gignantur. Quorum sunt omnino quattuor genera, siue uerba unius litterae uel complurium demptione, additione, commutatione, transmutatione corrupta sunt, siue neglegentia omissa, siue falso adiecta, siue casu aliquo in alienum locum collocata. Quamobrem quot qualiaque menda illi exciderint qui primus Bembinum exarauerit, uel ab eo recepta sint, exceptis iis quae ex praua scribendi ratione pendent, nisi quidem numeros disturbant, ex hoc quadripertito albo conspici potest (1).

I° DE UERBIS CORRUPTIS

7. Primum in conspectum ueniunt syllabae inconsiderate geminatae numero ad sex :

(1) Nisi quid aliud monuerimus, de « prima manu » librariorum tantummodo mentio fiet.

415.	*sese*	pro	*se*
487.	*taedetetiam*	—	*taedetiam*
608.	*aduentuentus*	—	*aduentus*
789.	*argentitibina*	—	*argentibina*
894.	*magnagnas*	—	*magnas*

et in clausula corrupta,

759. *conlocatamamari* (1).

Cuius generis exempla septem tantummodo in Calliopianis libris exsistunt, tria apud P, 203, 1050, 826 in extremo uersu; tria apud F, 605, 647, 666; denique unum apud E, 862, et fortasse etiam apud D, 230.

8. Cum librarius tam promptus ad syllabas iterandas esset, non fieri non poterat quin frequenter idem eas praetermitteret. Etenim hoc modo sedecim locis peccauit :

(1).	*Chremes*	pro	*Chremetis*
(2).	*Anthone*	—	*Antiphone*
198.	*aportum*	—	*aputportum*
245.	*ano*	—	*animo*
336.	*suum*	—	*summum*
347.	*postillam*	—	*postillaiam*
387.	*memisti*	—	*meministi*
440.	*dome*	—	*domome*
511.	*indum*	—	*indignum*
604.	*insti*	—	*institui*
631.	*capis*	—	*capitis*

(1) In Calliopianis uersus hic sic legitur : *Quocum uolebam et ut uolebam collocatam filiam*. Critici uero, ultimum uocabulum a Calliopio esse additum rati, ut septenarium restituerent, *filiam* in *gnatam* conuerterunt. Ego autem, quia Terentius scripsit 645-46 *quid si filiam suam unicam locaret*, 752 *uirginem locaui huic adulescenti*, neque umquam, ni fallor, *collocare* pro *locare* usurpauit, approbo coniecturam Richardi Bentley *filiam locatam* pro *collocatam filiam* reponentis.

675.	*uttam*	pro	*utmittam*
792.	*natuellem*	—	*natumuellem*
821.	*pare*	—	*parare*
851.	*mitatur*	—	*minitatur*
934.	*habit*	—	*habitet*

In huius modi syllabis praetereundis usque ad uersum 780, quo G deficit, D duodecies errauit, G quattuordecies, E octies, F sexies, C et P ne semel quidem (1). Unde sequitur ut Bembinus in hac parte haud melior sit quam D, deterior quam CEFP, potior tamen quam G.

9. Reliqua uero uerba aliud alio modo corrupta sunt, quae tamen nos docent quam leuis ingenii parumque attenti librarius fuerit. Is enim uerbum aliquod eadem littera qua uicinum saepe falso absoluit, reponens,

76.	*senis fidelis*	pro	*seni fidelis*
107.	*ui boni*	—	*uis boni*
178.	*timeo misero*	—	*timeo miser*
293.	*testimonio dictio*	—	*testimoni dictio*
500.	*ductis gratiis*	—	*ductes gratiis*
511.	*empto meo*	—	*emptam meo*
867.	*suspensu gradu*	—	*suspenso gradu*
875.	*men censen*	—	*me censen*
1003.	*esto dicto*	—	*est dicto* (2)

aut ludibrio nescioquo deceptus repugnantia uerba, quasi inter se sententia connectantur, uno uinculo, id est uno flexu, coniungit,

(5). *gnatam fidicinam* pro *gnatum fidicinam*

(1) D : 329, 371, 432, 522, 545, 556, 628, 697, 705, 743, 747, 763; G : 78, 84, 107, 177, 209, 237, 351, 427, 469, 507, 584, 624, 772, 774; E : 69, 240, 251, 465, 589. 655, 664, 690; F : 57, 58, 194, 248, 439, 553.

(2) Haec fortasse etiam addenda sunt : 130 *cognati*, propter *qui* uel *tibi;* 218 *Phaniam*, propter *uitam meam;* 290 *immerio*, ex *audio* u. 289 (?); 804 *ductum*, propter *aliut* (?); *familioariorem;* 909 *uol*, propter *uelle* (?), 1022 *aetatem* propter *sperem*.

524.	*quam ad dares huic praestitutam*	pro	*quam ad dares huic praestituta*
571.	*ipsa cum omni familia*	—	*ipsam cum omni familia*
666.	*opus est sumptum*	—	*opus est sumptu*
701.	*apparandas nuptias*	—	*apparandi nuptias* (1)

10. Iam uero nonnumquam accidit ut idem uocabulum in initio uersus praeponat, quo uersus superior uel inferior incipit : scribit enim

417.	*ita cum uno*	pro	*ut cum uno*
464.	*at eccum*	—	*sed eccum*

quia uersui 418 initium est *ita proximo*, uersui 463 autem *at ego;* aut ut uerum uerbum uitiet contagione alius uerbi quod, quia in superiore uersu scriptum est, in eius mente inhaesit, ut fit his locis: 50 *puero causa erit mittundi*, 122 *quid faciat*, 191 *quam hinc fugam*, 695 *cum argentum repetet*, ubi *puero* ex *puero* u. 48 prouenit, *faciat* ex *faceret* u. 121, *hinc* ex *hinc* u. 190, et *repetet*, pro *repetent*, ex *non enim ducet* u. 694.

11. Nunc si ea uocabula quorum corruptione oculi quasi praestringuntur usque ad uersum 780 recensebimus, apparebit Bembinum omnes libros in hac re superare. Hic enim, si bene rationem subduxi, huius modi delicta centum octo praebet, F autem nonaginta nouem, G nonaginta duo, D octoginta sex, E sexaginta quattuor, C triginta sex, et P triginta duo.

2° DE UERBIS OMISSIS

12. Ea tantum hic retulimus quorum omissione aut numeri perturbati sunt, aut sententia, quantum quidem

(1) Cf. 423 *ducenda*, propter *aetas*, postquam praepositio *ad* praetermissa est; tum 66 *in Lemno*, 88 *exaduerso*, propter *in*, *ex* (?); 300 *dicto*, propter comparatiuum *facilius* (?); 986 *exit*, quia *Nausistrata*, non uocatiuam uim, sed nominatiuam habere ducebatur.

id coniectura consequi licet, detrimenti aliquid accepit.

(3).	clam	261.	sua	507.	a	644.	ut
150.	hanc	267.	hic	534.	tam	659.	ego
169.	ut	275.	ea	545.	Geta	668.	iam
170.	animus	300.	alicunde	561.	hic (2)	683.	id
171.	cum	315.	ais	588.	ita	944.	ego
200.	nunc	423.	ad (1)	593.	opus	980.	cum
207.	quid	449.	ego	602.	mihi	1010.	ubi
234.	aut	—	ea	615.	quidem	1029.	iam
245.	fieri	464.	ipsum	624.	modo.	1050.	tibi
		470.	uno				

Ad haec illa quae in Calliopianis desiderantur si contulerimus, Bembinum uidebimus haud minus mendosum esse quam D, qui usque ad u. 780 tricies semel aliquid omisit, neglegentiorem autem quam G, cuius peccata numero ad XXVIII sunt. Ceteri uero libri minus reprehendendi sunt, nam F uicies semel errauit, E septemdecies, C septies, et P sexies (3).

3° DE UERBIS ADDITIS

13. Nouem uocabula supersunt quibus uersus longiores fiunt : 396 *tu*, 454 *est*, 499 *sine modo*, 526 *te*, 609 *salue*, 643 *ei*, 879 *inde*, 906 *adeo*, 1024 *quam tunc*. L. Havet optime disseruit de *sine modo* (op. cit., p. 304) et de *salue* (op. id., p. 309). Ego autem quid sentiam de *adeo* iam dicam, § 53. Quod uero ad cetera uocabula

(1) Cf. p. 18, note.

(2) Cf. L. Havet, *Revue de Philol.*, 1901, p. 309.

(3) D : 6, 41, 70, 71, 259, 326, 368, 419, 423, 468, 475, 486, 491, 493, 520, 548, 554, 580, 589, 615, 630, 631, 645, 671, 719, 727, 734, 744, 749, 756, 765 ; G: 57, 178, 188, 212, 234, 321, 327, 333, 362 (bis), 383, 396, 451, 521, 523, 525, 539, 548, 549, 604, 608, 650, 654, 714, 724, 727, 734, 770 ; F : 180, 213, 228, 229, 241, 267, 269 (bis), 289, 326, 344, 356, 486, 492, 519, 553, 594, 638, 719, 723, 760 ; E : 100, 147, 170, 204, 268, 326, 392, 468, 541, 547, 578, 639, 688, 689, 715, 741, 773 ; C : 322, 347, 510, 521, 546, 716, 723 ; P : 243, 361, 584, 653, 718, 773

attinet. unde prouenerint haud obscurum est : nam librarius uel emendator quisquam addidit *est* (454), *te, ei*, quae a poeta consulto subtracta erant ; *tu* ex *ut* procreatum est ; *inde* ex *inde* uersus 878 defluxit ; denique *quam tunc,* supra uersum interpretationis causa additum, posterius in uersum casu decidit.

D autem huius modi uocabula usque ad u. 780 nouem habet, G unum, P duo, C unum, F undecim et E quindecim (1). In hoc igitur Bembinus melior est quam FE, deterior autem quam GCP.

4° .DE UERBIS LOCO MOTIS

14. Cum uocabula quibus uersus efficitur in libris uarie disponuntur, quae recta sit collocatio indicium facere possunt aut ipsi numeri, aut uerborum ordo iustus, quo quidem seruetur loquendi consuetudo uel poetae oratio commendetur. Itaque haud dubium est quin apud Bembinum his locis uerba praue collocata sint,

a) quia uersus claudicat,

21.	*id sibi esse*	pro	*sibi esse id*
69.	*et erat super*	—	*et supererat*
500.	*ut me phaleratis ducas dictis*	—	*ut phaleratis ducas dictis me*
589.	*neque adeo defetiscar umquam*	—	*neque defetiscar umquam adeo* (*ego* CPEF)
618.	*si qui*	—	*is qui*
752.	*uirginem nuptum*	—	*nuptum uirginem*
917.	*quo <o>re redibo*	—	*quo redibo ore*

b) quia alternationis lex neglegitur (cf. opus meum

(1) D : 474, 475, 491, 565, 605, 631, 663, 725, 727 ; G : 715 ; P : 344, 669 ; C : 560 ; F : 80, 194, 206, 250, 290, 304, 373, 447, 547, 691, 753 ; E : 66, 99, 153, 159, 164, 255, 292, 379, 394, 432, 540, 551, 553, 704, 723.

quod inscribitur Etudes sur les groupes de mots dans la versification des dramatiques latins, chap. I),

838. *quam dudum dixit* pro *dudum quam dixit*

c) quia pronomina congreganda sunt,

909. *id tantopere uos uelle* pro *tantopere id uos uelle*

In Calliopianis huius generis errata frequentiora sunt, ut ea in E usque ad u. 780 colligere possis numero uiginti tria, in G tredecim, in D octo, decerpere autem in P quattuor, in F sex, atque in C ne unum quidem (1).

15. Manifestum est igitur inter Terentianos libros Bembinum, quod ad uocabulorum integritatem attineat, plura contraxisse uitia quam qui alius maxime; quod uero ad praetermissionem aut adiectionem, nulli delinquendo cedere, aut medium inter FE et GCP locum obtinere; denique quod ad transmutationem, minus quam DGEF peccasse, magis autem quam CP (2).

DE PERSONARUM INDICIBUS

16. Nobis ne de personarum quidem indicibus licet esse securis, quanquam Bembinus multum hic antiquitate sua ualere uidetur. Nam primum indices omisit ante *Non multum* 145, *Immo nihil* 146, *Audio* 160, *Sta ilico* 195 (cf. Donatum), *Egon* 260, *Quid uis* 322, *Satine* 802, *Vt ludos* 945, *Exsequias* 1026; tum multis locis eas

(1) E: 77, 89-90, 101, 126, 30, 139, 156, 179, 193, 215, 232, 271, 275, 278, 372, 407, 487, 536, 715, 727, 737, 754, 763; G: 87, 132, 175, 178, 214, 418, 562, 565, 644, 709, 723, 745, 711 (?); D: 308, 315, 333, 541, 569, 590, 624, 794; P: 175, 192, 291, 406; F: 177, 264, 355, 487, 491, 748.

(2) Apparet igitur CPFE singularibus uitiis minus refertos esse quam ADG, atque inter Calliopianos CP longe purissimos esse; praeterea prauas collocationes uerborum multo plures exsistere in eo libro qui recentissimus sit, E.

male collocauit, uel conturbauit et commutauit. Conuenit enim in hac re Bembinum peccasse, significando u. 259 Demiphonem pro Geta, 511 Phaedriam pro Dorione, 896 Demiphonem pro Chremete et rursus Chremetem pro Demiphone, atque Demiphoni totum uersum 426 attribuendo; etc.

DE BEMBINI CORRECTORIBUS

17. At enim plurima a primo librario corrupta uel omissa uel inconsiderate excepta, fuerunt qui corrigerent, restituerent, delerent, in uerum ordinem redigerent, et illa non ita longo post tempore, siquidem, ut opinatur Robertus Kauer apud Hauler, antiquissimus emendator (A^2) fere eadem aetate qua scriptor ipse exstitit, secundus autem (A^3) ante septimum saeculum post Christum natum. Concedamus hanc temporum rationem recte confectam esse. Attamen cum sit consentaneum libros etiam uetustissimos uitiis haud uacuos esse, necesse erit inuestigare num ubique emendatores illi digni sint quibus fides habeatur. Primo uero multum abest ut omnibus locis aperte corrupta uerba sanare conati sint, quorum maior pars remedii indiget, siue ea neglexerunt, siue intacta destituerunt. Nam ex uocabulis geminatione uel praetermissione syllabae cuiusdam aut casu quouis alio corruptis, haec nullum emendationis uestigium significant, quae sese offerunt ad uersus 415, 487, 789, 894, 759; (1), (2), 387, 604, 631 ; (4), (5), 66, 73, 84, 88, 107, 130, 132, 147, 148, 154, 171, 202, 263, 290; 326 et 333; 379, 382, 385; 1006; 396, 417; 458, 509 et 563; 465, 468, 500, 505, 511 (*empto*), 524, 549, 559, 571, 589, 617, 618, 653, 666, 695, 702, 715, 768, 770, 779, 819, 837, 840,

845, 848, 850, 855, 856, 867, 875, 906, 932, 948, 960, 981, 986, 1022 *(aetatem)*, 1055.

Porro autem nemo omissa uerba reuocauit aut addita sustulit ad uersus : (3), 169, 200, 207, 275, 449 (*ea*), 464, 470, 534, 602, 615, 624, 659, 944, 980, 1010, 1050 ; 396, 499, 526, 643, 906.

Denique, praeter unam (u. 69), falsae collocationes probatae esse uidentur.

18. Iam uero ad emendationes si transimus, uidemus perpaucas a primo librario (A[1]) esse adhibitas, tenuissimas quidem et quibus is plerumque curaret ut littera una uel addita uel detracta culpae nimia offensio tolleretur : 76, 178, 189, 198, 281, 290, 454, 804, 851, 921, 925, 951, 1003. Si quis autem ceterorum correctorum emendationes efficere aliquid putat, ut ad integritatem pristinam Terentiana uerba propius accedant, is mihi uanissimas spes concipere uidetur. Nam quae sunt in Bembino manifeste uitiata illi non modo parum diligenter corrigunt, ut u. 153 *uelet* pro *uelit,* 507 *eam* pro *a me,* 792 *natum* pro *natam,* 821 *parere* pro *parare,* 909 *uelle* pro *uos uelle ;* sed etiam Calliopiana uerba fere ubique miro modo consectantur referuntque, ita ut saepius Bembinus nouis etiam maculis conspergatur, nedum is purgetur : 17, 71, 88, 91, 97, 154, 199, 227, 369, 469, 494, 670, 701, 761, 836, 863, 880, 1011, 1014. Quae res fit quoque ubi cum uno aliquo Calliopianorum consentiunt : cum D, 326 ; cum G, 188, 332 ; cum F, 770 ; cum DG, 164. Sed, quod est pessimum, haud raro, dum uestigiis Calliopianis insistere desinunt, inuia ingrediuntur, rectum mundumque Bembinum ineptissima adscriptione deformant et inquinant : 12, 78, 286, 295, 306, 395, 476, 713, 724, 768, 834, 878,

19. De correctionibus autem quae ad personarum indices pertinent, eadem dicenda sunt : modo eas deficere, 259, 426, 485, 896, etc. ; modo ex Calliopianis libris esse desumptas, recte uel praue, 145, 146, 160, 195, 511, etc. ; nonnumquam inepte adhibitas, 494, 519, 534, 808, 990, perraro autem scite, 526 (cf. L. Havet, Revue de philol., 1901, p. 307), 611 (cf. § 104).

20. Accedit etiam ut in indicibus collocandis aperte Bembinum errantem emendator non bene correxerit, quia studiosius is Calliopianos sectaretur :

54. *GE.* Amo te, et non neclexisse habeo gratiam
55. <*DA. Call.*> Praesertim ut nunc sunt mores. Adeo res [redit :
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
57. *DA.* (*om. Call.*) Sed quid tu es tristis? *GE.* Egone? nescis, [etc.

Constat Daui indicem u. 57 male collocatum esse ; nam, cum Latini uoce *sed* significent nouam sententiam proferri, necesse est Dauom alia iam locutum esse. Quamobrem corrector Calliopianos libros secutus indicem e loco mouit atque eum uersui 55 praeposuit. Haud recte. Verbis enim *praesertim* ....*mores* Dauos laudatur : at qui potest ille salua uerecundia ipse sibi benedicere ? Adde quod inter illam orationis partem atque eam quae sequitur, *adeo res* ... *gratia*, nullum uinculum exstat ; immo haec inutilis atque superuacanea est. Concinnae uero et dilucidae fiunt sententiae, si ante *adeo res redit* index Daui inseritur, Nam cum grates a Geta actae adiectis uerbis *praesertim* ... *mores* plus ponderis habent, tum Daui responsum, quod quidem non sine ludo redditur, aptissime quadrat.

21. Quamobrem haud operae pretium est, ut opinor, sedulo dignoscere qui uicissim Bembinum retractauerint, num auctoritate alius alio praestet, cum omnes in eadem uitia promiscue inciderint, neque ullus inueniatur qui emendationem tum nouam, tum rectam attulerit (1).

DE SCRIBENDI RATIONE

22. Consentaneum est Bembinum meliorem scribendi consuetudinem sequi. Priscam enim uocabulorum figuram plerumque solus seruauit, uel quod ad litterarum appellationem, uel quod ad uerborum flexum attinet Scriptum est enim apud illum 339 *balineis*, 1032 *singulatim*, pro *balneis, singillatim*; 500 *gratiis*, 366 *neclegere*, 515 *optundis*, 746 *effuttiretis*, 759 *conlocatam*, pro *gratis*, *negle -*, *obtun -*, *effuti -*, *collo -*; tum 44 *compersit*, 535 *pote fuisset*, pro *comparsit*, *potuisset;* item 184 *illuc*, 717 *illaec*, 1038 *illoc*, pro *illud*, *illa*, *illo ;* 152 *hoc*, 91 *illi*, aduerbium, pro *huc*, *illic*; receptum est quoque *adiutaret* (u. 99), cuius in locum apud Calliopianos uenit recentioris usus uox *adiuuaret*.

23. Fuit tamen Bembinus multis locis leuis et inconstans. Nam posuit 14 *nouus*, et 245 *nouom ;* 580 *dicundum*, et 890 *capiendus ;* 582 *scibam*, et 652 *ueniebat ;* 184 *illuc*, et 524 *istud ;* 578 *consilii*, 770 *flagitii*, 1029 *supplicii*, et

1. Nulla idonea causa esse uidetur cur Edmundus Hauler correctorem antiquum A^2 tanti faciat. Is emendator enim neque u. 561 supra FERET *hic* feliciter addidit (cf. L. Havet, op. cit., p. 309), neque u. 611 in personarum indicibus attribuendis satis diligens fuit (cf. § 104). Versu 664 autem nihil habet utilitatis.

haud incolumi quidem re metrica, 819 *fili*, 147 *redit*, 1006 *peri*. Deterior praeterhac Calliopianis aliquando detegitur, cum scribit *percunctatum* 462, *harispex* 709, *audaciter* 11, *periculo* 58, 326, etc., et fortasse *heniuolus* (cf. Hauler, Phormio, App.).

CAPUT II

24. Quamuis tot tantisque librarii uitiis Bembini fides iam imminuta uideatur, graue tamen momentum apud illum exstat, cum iure possit hoc se iactare, quod spatio quidem temporum priscae et integrae Terentii orationi proximus sit omnium, multo plures autem exstiterint usque ad Calliopianos libros qui Terentiana uerba et exciperent et traderent: quamobrem se magis expressam magisque ueram, ceteros iam obscuratam et deprauatam ueritatis imaginem reddere. Cum enim tantum sibi merito adrogare possit, illud nos consequi debemus, ut dispiciamus quibus notis conspicuus a Calliopiana familia differat; qua uia haec ab antiqua stirpe quasi aberrauerit, peiore an meliore; quae genera potissimum delictorum frequens et diuturna transcriptio admittere et aggerare solita sit. Quae omnia dignoscere difficillimum esset, si unus ex sua gente Bembinus superesset. Qui enim inter discrepantia uerba expediri posset quae essent eius propria, quae autem a prioribus libris recepta? Verum in ea re nobis praesentem opem suppeditant Victorianus et Decurtatus, qui multis locis cum a Calliopianis ceteris ambo discordant, tum nunc a Bembino quoque recedunt, nunc cum eo conueniunt: quod nulla causa alia fieri arbitramur quam quod propinquitate cum Bembino sunt coniuncti, atque ex eodem archetypo defluunt.

25. Scio equidem iam me in doctissimos uiros incidere

qui, quia DG libri multo saepius cum Calliopianis reliquis consentiant, aiunt eos recentius exemplar et « Calliopianae recensionis » magis simile quam Bembini imitatos esse. Sed dum accurate et acute disserunt utrum Calliopianam notam magis impressam in se DG praeferant an CP, quo pacto fieret ut DG cum Bembino conspicuam similitudinem haberent, id inquirere, quanquam magni momenti erat, uel praetermiserunt uel abnuerunt. Hanc tamen grauissimam quaestionem unus Prinzhorn aggressus est, qui sibi persuasit libros DG non alia origine esse atque CP, sed ex libro, qui Bembini gemellus esset, ambo retractatos esse. At illi aliquis iure obiciat primum parum uerisimile esse Victoriani Decurtatique archetypum, cum ab exemplari emendato uel potius quasi refecto profectum sit, ipsum quoque suam passum esse retractationem; deinde libros quouis loco natos Calliopium recensere potuisse, neque quicquam obstare quin is librum aliquem ex eadem stirpe ortum qua Bembinus emendauerit. Quare mihi quidem uideor in suspicionem temeritatis haudquaquam uenire dum conicio DG eiusdem domus una cum Bembino partem esse. Quanquam, siue DG ex Bembini fratre retractati sunt, siue ipsi re uera Bembino cognati sunt, quid auctoritas Bembinae gentis ualeat concipere possumus libros ADG cum CPFE comparando : quae comparatio erit instituta primum de uocabulorum adiectione, deinde de omissione, tum de transmutatione, postremo de immutatione.

DE *ADG* CUM *CPFE* COMPARANDIS

1° DE UERBORUM ADDITIONE (1)

26. 249. esse: mihi esse (est PE) usque
496. tu parens: tu mihi parens
507. amittam AD : amittam inuenio
535. exorarier : nunc exorarier
588. et istaec: et ideo istaec
668. proinde : proinde (perinde CP) potius
703. quod polliciti sunt: quod polliciti sunt argentum
747. istoc : em (hem FE) istoc
748. exis: exis aut
830. propria : propria ea
858. aderas: hic aderas
926. hic : hic omnis
1027. age nunc: age nunc age

27. Neglecto uersu 496 qui longior in utraque familia apparet (de quo cf. L. Havet, Revue de phil., 1901, p. 304), Bembini culpa carent, Calliopiani uero uocabula inserendo leges metricas decies perruperunt: 249 *mihi, usque,* 507 *inuenio*, 535 *nunc*, 588 *ideo*, 668 *potius*, 703 *argentum,* 748 *aut*, 830 *ea* (insolitus proceleusmaticus), 926 *omnis,* 1027 *age*. Quorum uerborum quasi excrescentium naturam aut originem si scrutamur, reperimus ex iis tria ad praebendam alius uerbi interpretationem primo supra uersum uel in margine fuisse scripta, postea in ipsum uersum irrepsisse : 507 *inuenio*, quia in uersu *nam neque quo pacto a me amittam neque uti rettineam scio* illud interpretem fefellit, uerbum *scio* ad utrumque sententiae membrum pertinere, 668 *potius*, quo grammaticus quidam

1. Huc retuli uocabula quae quin re uera in Calliopianis potius addita sint quam in Bembino omissa, nemo fere adhuc dubitauit, uelut 858 *hic*.

proinde interpretari conatus est, 703 *argentum*, ad *quod* enucleandum; tum autem duo, 830 *ea* et 1027 *age*, librarii temeritate uicinas syllabas aut uocabulum iterare (*propriaia* = *propria ea*); unum etiam, 748 *aut*, in extremo uersu, qui lubricus locus est, nescioquo casu esse ortum.

Quod uero ad 535 *nunc* et 588 *ideo* spectat, uerisimile est aduerbium *nunc* ex inferiore uersu prouenisse, neque aliud esse quam huius uersus pronomen *hunc*, supra quod collocatum est, itemque *ideo*, in quo facile agnoscas *adeo* (cf. 589 *neque adeo defitiscar umquam* A, *neque defetiscar umquam adeo* G). Vocabuli *omnis* 926 incerta quidem est origo, sed id, cum sententia haudquaquam postuletur, manifestum est fortuita causa productum esse (1). Denique uersum 249 Ludouicus Havet callidissime illustrauit et emendauit (Revue de phil., p. 229-30).

28. Quae cum ita sint, ubi quid in Calliopianis occurret quod a Bembinis absit, utrobique metro seruato, examinandum erit diligenter unde sit id exortum quidque sententiam adiuuet. Si erit neque aduenticium neque absurdum, haud dubitandum erit quin sit necessarium, neque a Calliopio falso additum, sed potius a Bembinis omissum.

Documento sint 747 *em* et 858 *hic*. Perspicuum est primum uocabulum in extrema parte superioris uersus esse ortum, postquam librarii uitio ultimae litterae *et* geminatae essent; tum postea in initium sequentis translatum esse. Scimus enim hoc in uocibus monosyllabis saepius fieri, maxime apud libros picturis

1. Forsitan librarii cuiusdam propria indiligentia increpanda sit : cf. enim *culpam omnem* Andr. 379, *di deaque omnes* Eun. 302.

ornatos, ut Andr., 257 *aut* P, 307 *ah* P, 630 *in* P; Heaut., 1011 *oh* PF; Phorm., 491 *ei* APF, 828 *ut* APF; Eun., 238 *em* P; quo quidem coniectura nostra probatur, quandoquidem CP *em*, reliqui autem *hem* habent. Alterum uero, quoniam unde prouenerit aut ut sit fictum expediri non potest, legitimum ducemus. Etenim ad comicorum poetarum morem prorsus accommodatum est, qui aduerbium *hic* cum *adesse* aliisque uerbis coniungere solent, ubi de personis in scaena stantibus loquuntur, atque sententia loci notionem requirit ; cf. Eun., 743, 764, 891 ; Phorm., 308, 541 ; Heaut., 160, 176, 238 ; Ad., 293, 453, etc. ; cf. etiam illud usitatissimum : *quis hic loquitur ?*

2° DE UERBORUM OMISSIONE

29. 170. ni unum desit AD : ni unum hoc desit
182. audacia : iam audacia
209. quid hic : quid
377. hodie (hoeiā DG[2]). Desine : Desine
466. itane te : itane
481. quod hanc AD : quod ad hanc
531. sed ut AD : sed ut ut
540. sed : sed id
548. abducet : hinc abducet
549. tum igitur dum licet AD : dum igitur (igitur [dum G) licet
616. opinor AG : ut opinor
722. digressos esse : digressos
724. satis est : sat
858. tu cessas : cessas
907. paratum me esse : paratum esse
1040. indignum hoc tibi : indignum tibi (1)

1. AD praebent *hoc indignum*; uocabulorum ordinem Bentley optime inuertit, qui pronomina congregauerit, dum *indignum* insigne loco reddit.

30. In ADG uocabula quattuor ad numeros necessaria sunt omissa : 182 *iam*, 481 *ad*, 531 *ut*, 540 *id;* in Calliopianis autem quinque : 377 *hodie*, 466 *te*, 722 *esse*, 858 *tu*, 907 *me*. Quattuor quoque locis apud hos libros perierunt unius syllabae uocabula, saluis quidem numeris, non tamen illaesa orationis consuetudine : 209 *hic*, 724 *est*, 1040 *hoc*, aut rerum serie, 549 *dum* uel *tum*. Quod genus omissionis agnoscere etiam apud Bembinos oportet : 170 *hoc*, 548 *hinc*, 616 *ut ;* nam explanari non potest quo pacto uocabula illa in Calliopianos sese intromiserint (cf § 13), praesertim cum orationi Terentianae uel maxime congruant (de *unum hoc*, cf. Andr., 506, Eun., 877, 1084, Phorm., 905, Hec., 766, Ad., 239, 833, etc.; de *ut opinor*, cf. Andr., 179, Phorm., 555, Hec., 598, Ad., 648 ; de *hinc* aduerbii collocatione, uide ad uersus 311 et 551 ; de numeris autem, oportet pronuntiare *in ignotum*). Ergo illud teneamus, quanquam uocabulorum praetermissio frequentius in Calliopianis fiat, non ita raro tamen Bembinos in hoc uitium delabi.

3° DE UERBORUM COLLOCATIONE

31. 110. satis inquit scita : satis scita inquit
114. ait facere : facere ait
161. adimat hanc mihi : hanc mihi adimat
171. sit cum eo lenone : cum eo lenone sit
243. damna exilia : exilia damna
255. hoc responde : responde hoc
321. instructa sunt mihi : mihi instructa sunt
451. aequom est et bonum : aequom et bonum est
482. saluom nunc : nunc saluom
497. esse duro te : te esse duro

503. est autem : autem est
529. sciebat esse : esse sciebat
561. oneris quiduis : quiduis oneris
588. mihi res : res mihi
661. oppositus... 662 est (*om.* G) : oppositus est
715. opust : est opus
720. eam dare nos : eam nos (nos eam F) dare
728. inueniam misera : misera inueniam
737. eius pater : pater eius
894. magnas merito : merito magnas
*936. uxorem tu : tu uxorem
950. cape cedo : cedo cape (1)

Duobus et uiginti locis libri ADG a ceteris libris uocabulorum collocatione discedunt. Meliorem ordinem sedecim uersibus haud dubie praebent, siue leges metricas a Calliopianis neglectas recte obseruant, ut 171, 321, 451, 482 (alternationis lege tuta ; cf. § 14, b), 497, 561, 661, 715; siue latinae consuetudini uel Terentianae orationi propius accedunt, ut 110, 114, 503, 588, 720, 728, 894, 950. Ceteris autem uersibus utrimque pedum ratio recte constat. Melius tamen in ADG uerba collocata esse mihi uidentur uersu 243; de 529 autem dubium est iudicium. Restant loci duo ubi genuinum ordinem tenuisse Calliopianos puto, ut qui pronomina recte collocent aut inter se concinne componant : 161, 255.

4° DE UERBORUM DISCREPANTIIS

32. 21. ab illo : ab ipso
145. geret AG : gerit
150. delatam : latam
154. aduenti : aduentus
232. ac mitto AD : age [mitto
235. reperiam : repperi [iam

1. Addendum fortasse u. 575 *est morbus* ADGE : *morbus est*, quia in uerbis collocandis a ceteris Calliopianis E saepius desciscit (cf. § 14).

315. aduentum : conspec- [tum
323. senis : patris
373. carcer : carcere
378. peto: expeto
396. cum AD^1G: si
436. properas: properes
456. inceptum: inceptu
461. sequar AG: exequar
467. tete: te
479. dixi : dico
491. nequid : aliquid
494. somnia AD^1 : somnium
516. hic : hoc
528. decipit: decepit
535. pote fuisset : potuisset
538. rursum : rursus
558. istaec: ista
573. audieras : audiueras
582. scibam AG: sciebam
589. adeo : ego (1)
593. argentum AD: argento
716. et: at
724. satis : sat
737. cognosco : cognoscam
759. quocum: quicum
762. sit: est
786. adiuues AD^1: adiuuas
806. perdis : pergis
828. suadeat: iubeat
848. reuocare AD^1 : reuo- [cari
880. dari AD^1: dare
902. uerebamini: ueremini
906. idque : itaque
923. discripsi (describi D): [perscripsi (2)
928. alterae : alteri
978. non: nonne
982. huc : hinc
— euoco : uoco
983. accurrere (oc-D) : [accurre
1001. ohe (h** D^1 heo D^2) [tu : eho tu
1004. quid ais: quid agis
1025. hic : nunc
1031. at : an
1040. adeon : adeo
1047. satin : satis

33. Horum uerborum apud ADG tria tantum primo aspectu plane corrupta sunt habenda, cum duobus sententia aperte uexetur : 145 *geret* pro *gerit* (cf. *sic tenuiter),* 848 *reuocare* pro *reuocari,* tertio autem numeri dissoluantur : 902 *uerebamini.* Vindicant quidem uocabulum hoc a suspicione multi, qui aiunt, ut in *calefacere,*

1. *Neque adeo defitiscar umquam* A; *neque defetiscar umquam adeo* (om. D) DG (cf. Edmundi Hauler Phormionem, in critica appendice, p. 208); de uerborum collocatione apud Bembinum, cf. § 14. De uera Terentii oratione, cf. § 50.

2. *Describi* uidetur ex *rescribi* (u. 922) prouenisse.

patefacere, etc., syllabam secundam correptam esse, aut in *ibidem, diutius*, etc., si usus ferat, corripi posse, sic eamdem in *uerebamini* esse corripiendam. At *calefacere, ibidem, diutius* sunt compositae uoces quarum pars alterutra segregari potest, *facere, ibi, diu;* solida uero uox est *uerebamini*, quam nullo pacto diuidere liceat. Qui si confugiunt ad *amĭcitiam* Merc., 846, Pseud., 1263, *pudĭcitiam* Epid., 405, Amph., 930, uereor equidem ne specie decipiantur. Nam Pseud., 1263, locus est corruptus, quem F. Leo in editione sua refecit; tum Merc., 846 *uitam, amicitiam, ciuitatem,* pronuntiandum est *ci'tatem*. Quod uero ad *pudĭcitiam* attinet, non grauiores testes producunt. Etenim,

Epid., 404-05. Docte et sapienter dicis: num nimis potest
Pudicitiam quisquam suae seruare filiae

perspicuum est posteriorem uersum una syllaba hoc esse longiorem, quod prior una syllaba sit brevior, ita ut qui legat :

Docte et sapienter dicis; num <quam> nimis potest
Pudicitiam quis suae seruare filiae

is cum legibus metricis prosodiacisque, tum etiam rerum interpretationi optime satisfaciat (de caesura 405, cf. Etudes sur les groupes de mots, etc., § 395 sq.). Ad alterum exemplum,

Amph., *929*. Iuben mi ire comites? *IUPP*. Sanan es? *ALC*. [Si non iubes,
930. Ibo egomet; comitem mihi pudicitiam duxero

quod consilium Alcumenae sit nemo non uidet : a uiro enim ea postulat ut sibi dentur comites qui sua ferant

sibique in itinere prospiciant; haud assentienti uero illi respondet se sibi comitem solam pudicitiam abducturam. Nunc quid uox *ibo* sibi uult? uel quo se ituram Alcumena narrat? an putandus poeta *ibo* pro *abibo* usurpauisse? melius, credo, latine loquebatur. Verum constat neque *ibo* neque *abibo* sententia desiderari. Praeterea mihi dici uelim cur composito pronomine *egomet*, ac non simplici *ego*, Plautus usus sit. Nisi quis forte asseuerat *egomet* idem ualere quam *sola ego*, aio equidem *egomet*, item ut *ibo*, hoc loco sensu carere, amboque uocabula eodem casu una corrupta esse. Quamobrem uersum 930 sic restituendum puto:

Comitem mihí Pudicitiam ire ego iussero

Postquam uerba *ire ego* ex margine libri in initium uersus translata sunt, atque *ibo egomet* facta sunt, *iussero* in *duxero* emendator quidam correxit, ut secunda pars uersus intellegeretur.

34. Quae cum ita sint, quia neque *ucrebamini* neque illud Calliopianum *ueremini* tolerandum est, necesse est uersum in ultima parte uitiatum esse. Consideremus enim totum locum :

900. *DE*. At nos ad te ibamus, Phormio.
901. *PH*. De eadem hac fortasse causa? *DE*. Ita hercle. [*PH*. Credidi.
902. Quid ad me ibatis ? *DE*. (*om*. DCP) Ridiculum. . . *PH*. [(*om*. DCP) Verebamini (an uereba–D an uere–CP)
Ne non id facerem quod recepissem semel?

Primum praedico uersum 901 spurium esse. Nam qui potest Phormio interrogare *de eadem hac fortasse causa?*, cum sui consilii participem neminem adhuc fecerit?

Item qui potest Demipho respondere *ita hercle*, cum cur parasitus ad se ueniat plane sit ignarus? Tum praeterea qui sensus probabilior et expeditior ex uerbo *credidi* colligendus est? Detrahe uero illum uersum : iam 900 et 902 inter se arte cohaerent.

Deinde in uersu 902 apparet responsum *Ridiculum* (nempe subaudiendo *quaerere quid ad te eamus*) Demiphoni haudquaquam conuenire, cum is non modo se parasiti dolis deceptum fuisse ignoret, sed etiam eum posthac (u. 910) falsidicis uerbis ultro deludere conetur.

Credo igitur Calliopianos libros sequi oportere, ac Demiphoni totum uersum assignare, mutato *uerebamini*. Itaque locum sic corrigendum censeo :

900. *DE.* At nos ad te ibamus, Phormio.
902. *PH.* Quid ad me ibatis ? Ridiculum uererier
Ne non id facerem, etc.

Ex imperfecto *ibatis* constat *erat* post *ridiculum* subaudiendum esse, ex quo fieri praeterita *facerem* et *recepissem*.

35. Rursus autem est ubi Bembinos critici incognita re condemnauerint atque iis Calliopianos haud recte anteposuerint. Documento sit hic uersus :

983. A : Enim nequeo solus accurrere. *PH.* Vna iniuria est
D : Enim solus neque <o> occurrere huic. *PH.* Vna [iniuria est
CP : Enim solus nequeo accurre huc. *PH* Vna iniuria est

Quia neque in A neque in D numeri seruantur, non dubitant quin uocabulum *occurrere* sit corruptum, atque ei *accurre*, cuius sensus apertior sit, praeferendum sit. Sed, cum *huc* superesse iudicent, uerborum collocatio-

nem ab A petunt, ita ut uersus hic sibi laudabilis esse uideatur : *enim nequeo solus : accurre*. PH. *Vna iniuria est.*

At parum apte *accurre* usurpatur, quia Chremes non recessit, iuxta adstat autem, atque ei pes tantum proferendus est ut Demiphoni opituletur; tum quia res non tam *accurre* quam *fer opem* requirit. Nunc si ad librum D spectamus, uerba *enim solus nequeo occurrere* uidemus tum optimam sententiam significare, quandoquidem uox *occurrere* eamdem uim habet quam « obsistere », tum concinnam uocabulorum compositionem praestare, quod conspicuo loco *solus* positum est. — At enim *huic* pronomen superest. — Tollamus igitur illud, et eo audacius quidem quod ad *occurrere* explanandum inuentum est et receptum.

36. Iam uero Calliopianos libros inspectantibus nobis hoc imprimis occurrit, cum apud eos sane multo plura sint praua, nullum tamen exsistere uerbum adeo deformatum, ut non uis quaedam in eo inhaereat, quae orationi uel praecedenti uel sequenti ratione aliqua non accommodata sit, atque nullam significationis speciem praeferat, ut 235, 373 (ex *dignum* natum), 396, 516, 806, 906, 982 (*hinc)*, 983, 1004. Unde facile colligitur Calliopium libros illos arbitratu suo retractasse.

37. Si quaeremus uero quam rationem adhibens quae uocabula retractauerit, uidebimus eum curauisse primum ut prisca in recentiorem figuram conuerteret, uelut 154 *aduentus* ex *aduenti*, 535 *potuisset* ex *pote fuisset*, 538 *rursus* ex *rursum*, 558 *ista* ex *istaec*, 573 *audiueras* ex *audieras*, 582 *sciebam* ex *scibam*, 928 *alteri* ex *alterae ;* tum ut aut tempora mutaret, quorum usus sibi obsoletus

uideretur, uelut 436 *properes* ex *properas*, 737 *cognoscam* ex *cognosco*; aut uerborum structuram, ut ab suae aetatis consuetudine abhorrentem, 456 *turpe inceptu* ex *turpe inceptum*, 593 *argento opus esse* ex *argentum opus esse*, 982 *hinc seruos uoco* ex *huc seruos euoco*. Denique manifestum erit illum multo minus elaborasse ut, qui « recensionem » suam legerent, ii Terentianam orationem non ita corruptam in manibus haberent, quam ut ne rerum aut uerborum obscuritate confunderentur.

AN REI METRICAE PERITUS CALLIOPIUS FUERIT

38. Sed hoc uide : emendator ille, dum corrigendo sententiae tantum consulit, nihil ad numeros respexit, et tum breuiores uersus tum longiores aequo animo tulit, ut 150, 235, 373, 528, 538, 582, 762, 982 (*uoco*), 1025, 1040 : unde iudicari potest eum rei metricae plane rudem fuisse. Qua de re non sum equidem nescius doctos fere omnes longe aliter opinari. Cum enim uiderent nonnullis locis Calliopianos libros propriam orationem praebere, quae, siue Bembina melior esset siue peior, numeris constaret et non repugnaret, cumque eam ex retractatione Calliopii esse ortam existimarent, in illo Calliopio qui etsi in uerbis reprehendi posset, at in metris omni laude esset dignus, sibi persuaserunt summam inesse legum metricarum cognitionem atque prudentiam. Sed mihi uidentur neque satis diligentiae neque satis iudicii ad illam quaestionem attulisse. Nam paucos uersus quos Calliopius non inuitis metris emendauit, hinc et illinc suo arbitratu decerpunt, multos, qui adhibita correctione foede claudicant, relinquunt. Est autem ubi Calliopium incusent uel laudent quod locos retractauerit,

quos aut constat a librario nescioquo esse corruptos, aut uerisimile est integros ex antiquo libro receptos esse. Sic exempla in opere suo Conradus Sydow collegit quibus nulla habenda est fides (p. 3-14). Quod ut manifestum fieret, ea recensere atque singula excutere uisum est eodem ordine quo a Conrado Sydow sunt prolata.

39. Andr., 977. Memini; atque adeo longum est illum me
[(nos illum *Call.*) expectare dum exeat

Non iis assentiendum est qui *illum me* recipiunt, *nos illum* ut corruptum uel retractatum reiciunt, nam hic Bembinus errat, Calliopiani autem rectam uiam tenent. Etenim uersibus 975 sq. Charinus a Pamphilo postulat ut is se Chremeti tradat atque apud illum pro se de Philumena ducenda uerba faciat *(tuos est nunc Chremes; facturum quae uoles scio esse omnia);* cui Pamphilus respondet id se facturum (*memini*), eumque iubet ut secum intro eat (*sequere hac me intus*, u. 978), ne diutius Chremetem exspectent. Itaque laudandus est Fleckeisen quod in sua noua editione *nos illum* excepit.

40. Hea., 183. Abduxi ad cenam; nam mihi magna (*om. Call.*)
[cum eo iam inde usque a pueritia
Fuit semper familiaritas—Voluptatem magnam nuntias

Vox *magna* non tolerari potest, quia longius a *familiaritas* recessit; praeterea sententiae non ita necessaria est. Haud obscurum est eam alienam esse a uersu, quippe quae ex *magnam* inferioris uersus (*uoluptatem magnam*) orta sit. Calliopius uero integram Terentii orationem retinuit: quem sequi oportet, pronuntiando *mi cŭm eo* (1).

1. De hoc exemplo, atque etiam de sequente, egit Aemilius Chatelain, cum librum Conradi Sydow recenseret (*Revue critique*, 1879, II, p. 97).

41. Hea., 678. A : Retraham hercle opinor idem ad me ego illud
[hodie fugitiuom argentum tamen
DG : Retraham hercle illuc opinor ad me fugitiuom, etc.
CPFE : Retraham hercle opinor ad me idem illud fugi-
|tiuom, etc.

Qui locum intentis oculis intuebitur, is perspiciet uocabulum *opinor* ex uersu praecedente huc emigrasse *(at sic opinor*, u. 677*)*; quod si id sublatum erit, tum recte uersus apud Bembinum stabit. Calliopianam autem orationem non est quod credas consulto correctam esse, nam si res ita se haberet, Calliopius nihil aliud nisi *hodie* recidisset. Corruptus ergo locus est.

42. Hea., 693. Deorum uitam apti (adepti *Call.*) sumus.— Frus-
[tra operam opinor hanc (*om. CPFE*) sumo

Recte Conradus Sydow uidit pronomen *hanc (= meam)* obtinendum esse; quod si aduenticium esset, unde prouenisset facile quis perspiceret. Quamobrem oportet id suo loco ponere, ita ut numeri restituantur. Ego igitur sic legerim : *hanc sumo operam opinor*. Nunc, quoniam non dubitari potest quin in archetypo communi *hanc* exstiterit, haud male conicias id uocabulum in Calliopianis potius omissum esse quam a Calliopio ipso de industria deletum.

43. Hea., 792. Id nunc reddendum est illi ; neque tu scilicet
793. Illuc (Eo nunc *Call.*) confugies : quid mea ?
|num mihi datum est

Ait Conradus Sydow apud Calliopium uocem *nunc* fuisse delapsam ex uersu 792 in uersum 793, tum postea correctorem metri causa pro *illuc* scripsisse *eo*. Ego uero certum habeo librarii oculos ex *Illuc* ad *Id nunc*

deerrauisse, atque illum EONUNC pro IDNUNC legisse, praesertim cum in antiquis libris grandes litterae I et E, D et O inter se figura simillimae essent (cf. Bembini scripturam, apud Aemilium Chatelain, Paléographie des classiques latins, Tab. VI.)

44. Hea., 819. Amicam adduxti, quam non licitum sit (liceat [*Call.*) tangere

Nescio an Calliopius, ut ait Sydow, priusquam *liceat* scriberet, in suo exemplari *licitum sit* legisset, uerum qui in emendanda Terentii oratione curaret imprimis ut ea a quolibet uno intellegeretur, eum ego non puto *liceat* excogitauisse, cum hoc loco coniunctiuus modus, ut non sensu careret, tamen Calliopii aequalibus obscurior et difficilior esse haud dubie uideretur (cf. § 37).

45. Hea., 870. Sed haec uti (Sed utut (uti P) istaec CP) sunt, [cautim et paulatim dabis

« Haesit censor in producta syllaba finali uocis *uti* Scripsit igitur *utut istaec sunt* » (Sydow). At poterat idem scribere *utut* pro *uti*, uno tantum uocabulo mutato. Nihil quidem re uera mutauit; nam uerba Bembina corrupta sunt, Calliopiana integra et recta. Etenim *istaec,* ac non *haec,* sententia requiritur (cf. u. 869 *ut istam rem uideo*).

46. Hea., 879. Ohe desine inquam (Ohe iam desine *Call.*) [deos, uxor, gratulando optundere

Vide reuerentiam Bembini quo euadat ! Hic liber enim prauum uersum exhibet, Calliopiani rectum et eum qui nullo pacto reprehendi possit : attamen illum corrigere malunt potius quam laudare hos atque sequi. Meminerimus uero apud Terentium *desine* frequentius quam

desiste usurpari; deinde *iam* optime cum *desine* coniungi solere. Quin etiam arbitror equidem *ohe, iam desine* in alio Terentiano uersu inesse. Inspiciamus enim hunc locum :

Pho., *375*. *GE*. Quis homo est ? ehem. *DE*. Tace. *GE*. Absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias.
377. A. *Call.* Numquam cessauit dicere hodie (*om. Call.*) [*DE*. Desine
DG. Numquam cessauit dicere. *DE*. Hoe (Hodie G[1]) [iam desine

Quam uim *hodie* habeat fateor equidem me non intellegere, nisi Geta significare uelit Phormionem superioribus diebus a contumeliis erga Demiphonem temperauisse. Praeterea hoc aduerbium, ut non sit corruptum, haud suo loco collocatum est, quippe quod post *numquam* uel ante *dicere* ponendum sit : quae transmutatio, si efficiatur, numeros disturbet. Perspicuum est autem *numquam cessauit* ad spatium temporis tantummodo pertinere quod sermoni datum est, ex quo Geta et Phormio congressi sunt; tum *ohe, iam desine* maxime cum *tace*, uersus superioris consonare. Ne dubitemus igitur libros DG potissimum sequi (1).

47. Hea., 899. Vt ne paululum (paulum *Call.*) quidem subolat [(suboleat DGF[1]E) esse amicam hanc Cliniae

Non negabo uersum hunc ab emendatore quodam esse retractatum, qui *suboleat* pro *subolat* reposuerit. Verum arbitror eum id egisse nulla alia causa quam ut prisco et obsoleto uocabulo recens et usitatum subrogaret. Nam

1. Arbitror equidem originem huius corruptionis fuisse prauam scribendi consuetudinem, qua *hoe* pro *ohe* scriberetur. Inde *hodie* excogitatum est (cf. *hodie* G[1] *hoe* G[2]). De interiectionis significatione et usu, cf. *ohe, iam satis* Cas., 249, Stich., 734.

si metri causa, cur non potius *paulum* in *paululum* mutauit? aut quomodo potuit semipedis defectione hic offendi, qui multis aliis locis *paululum* pro *paulum* tolerauerit, quo quidem aduerbio uersus aequo longior esset? (cf. Andr., 903, Eun., 856, 1068, 1075, Heaut., 747, Hec., 506, Ad., 949, 950, 980,.

48. Hea., 923. Foris sapere, tibi non posse (posse te *Call.*) [auxiliarier

Quandoquidem constat neque numeris *posse* neque purae orationi *posse te* satisfacere, atque hoc loco *potis esse* restituendum esse, quid est causae cur non *posse te* corruptum ducamus, atque locutionis *potis esse* reliquias ostendere?

49. Pho., 535. Cui minus nihilo est, quod hic si pote fuisset [(potuisset nunc *Call.*) exorarier

Conradus Sydow arbitratur censorem, postquam in suo libro *potuisset* legisset, *nunc* metri causa inseruisse. Credo equidem illud *nunc* in uersum casu irrepsisse, atque ex pronomine *hunc* uersus 536, quod infra se adest, prouenire.

50. Pho., 589. A : Neque adeo defitiscar umquam experirier
Call.: Neque defetiscar umquam ego (*om.* D [adeo G) experirier (1)
Prisc: Neque defetiscar usque adeo experirier
590. Donec tibi id quod pollicitus sum effecero

Primo adspectu apparet in Priscianino uersu ueram inesse Terentii orationem, cum frequentius apud comicos

1. De scriptura Victoriani Ambrosianique, cf. Robertum Kauer apud Edmundum Hauler, in critica appendice.

usque adeo donec uersetur : Andr., 662, Cist., 573, Rud., 812, Truc., 39; *adeo usque dum* Amph., 472, Asin., 328. Cum res ita se habeat, loco quo *usque adeo* continebatur corrupto, ut *umquam* ex *usque*, sic *ego* ex *adeo* esse ortum uerisimile est, neque ullam ab ullo emendationem adhibitam esse.

51. Pho., 724. Non satis est (Non sat *Call.*) tuom te (*om. Call.*) [officium fecisse, si non id fama approbat

Non dubito quin in archetypo communi *sat*, ac non *satis est*, exstiterit. Nam apud Terentium uox *satis*, cum aduerbii partes suscipit, multo frequentior quidem est quam *sat*, sed raro locum obtinet in uerbis copulatis qualia sunt *satis habet (habeo), satis est;* ubi uero eiusmodi locutioni aliqua sententia subiecta est, hoc uno loco apud ADG, nisi fallor, *satis* reperitur. Contra multis locis *sat* ponitur : *sat est* Andr., 170, Eun., 706, Phorm., 211, 604, Ad., 834; *sat erat* Eun., 736, Phorm., 797; *sat habes* Heaut., 718; tum sententia subiecta : *sat habet si tum recipitur* Eun., 485, *nonne id sat erat accipere ab illo iniuriam* Phorm., 768-69, *non signi hoc sat est quod heri nemo uoluit* Hec., 236-37. Itaque Bembinis Calliopiani anteponendi sunt, neque ulla re reprehendendi, nisi quod *te* ante *officium* casu praetermiserunt. Legendum est igitur, ut opinor : *non sat tuom te officium fecisse.*

52. De uersu 877, qui in utraque familia recte stat, cf. infra § 96. De uersu 902, uide supra § 34; quod si *uerebamini* ex *uererier* ortum est, credendum *ueremini* non aliam originem ducere, atque *an* tantummodo ab emendatore esse additum, ut, qui legerent, sententiam esse interrogatiuam intellegerent (cf. § 37).

53. Pho., 906. A : **Idque adeo uenio ad uos nuntiatum, Demipho**
Call. : Itaque (idque D) ad uos uenio nuntiatum, [Demipho

In archetypo fuerunt uerba *ad uos*, quae, supra uersum ad uocabulum *uenio* supplendum addita, librarius temere in ipsum uersum immisit. Calliopianae autem orationis quattuor species fuerunt : 1° *idque adeo uenio ad uos*, 2° *itaque adeo uenio ad uos*. 3° *itaque adeo ad uos uenio*, 4° *itaque ad uos uenio*. Primum enim uox *adeo* corrupit uocem *idque* in *itaque*, nam apud comicos poetas *itaque adeo* in initio uersus frequens est (1) : tum casu aliquo *ad uos* ante *uenio* collocauerunt; postremo legerunt *ad*<*eo ad*> *uos*. A Calliopio uero nihil correctum est.

54. De uersu 983, uide supra § 35. Incertum est Calliopius uel alius quisquam *accurre* pro *accurrere* consulto reposuerit an ab aliquo libro acceperit, aut id uocabulum ex *accurrere*, ultima syllaba amissa, factum sit.

55. Hec., 617. Credo ea gratia concordes magis (*om. Call.*) [si non redducam, fore

Mihi uidentur Calliopiani integra archetypi uerba retinere : quae cum sensu carerent, interpretationis loco *magis* supra uersum additum est, unde in ipsum uersum peruenit. Praeterea pro certo habeo illam archetypi lectionem eo esse uitiatam, quod uox *non* e loco mota est, atque eam hoc modo corrigendam esse : *credo ea gratia concordes, si redducam, non fore;* ex quo fit ut nulla obscuritas neque in sententia ipsa neque in sententiarum serie supersit (cf. enim u. 615 : *LA. Quid uis*

1. Cf. Men., 718, Ad., 710, Hec., 201, Afran., 110-1, etc.

facere nisi redducere. PA. Equidem cupio..... Sed non minuam meum consilium).

56. Ad., 208. Sed nemo dabit: frustra egomet mecum (ego [mecum *Call.*) has rationes puto (dep-*Call.*)

Ecce in manibus demum habemus uersum in quo emendator quidam *deputo* in locum uocis *puto* substituit nulla alia causa nisi ut uersui iustus exitus esset. Fuitne Calliopius is emendator? Id asseuerare quis audeat, praesertim cum suspicari liceat Calliopium libro satis multum a Bembinis differente usum esse?

57. Ad., 538. Pater est (adest *Call.*)? — Ipsest (ipsus est DG ipsus *reliq.*) — Syre, quid agimus? — Fuge, etc.

Hic *est* magis sententiae congruens est quam *adest*. Sed non ego crediderim aliquem *est* in *adest* ad semipedem recuperandum conuertisse, propterea quod apud comicos poetas pes huius modi ∪∪́, ∪∪ legibus metricis prohibetur. Suspicor equidem causam cur *adest* pro *est* scriptum sit esse quod saepius in sermone Terentiano *pater adest* reperitur (cf. Andr., 403, Heaut., 179, Phorm., 541, etc).

58. Igitur inter tot exempla quae diligenter delecta Conradus Sydow collegit, ne unum quidem exstat in quo emendator quiuis metri causa aliquid correxisse manifesto deprehendatur; sed Calliopianos libros demonstrauimus, ubi sententia et oratione uituperandi sint, ibi librarii uitio esse corruptos, ubi uero ante Bembinos laudandi, ibi optimi libri cuiusdam uerba referre. Contra ea, quotiescumque non dubitari potest quin retractati fuerint, qui eos emendauit, siue ad res siue

ad uerba respexit, is perspicue nullam rei metricae rationem habuit : quod cum nos multis exemplis ex Phormione sublatis edocuimus (cf. § 38), tum etiam Sydow ipse non potuit non agnoscere, cum sibi occurrerent uersus quales Eun., 1082 (p. 21), Eun., 632 Heaut., 509 (p. 61), quanquam ille non emendatoris diligentiam, sed librarii temeritatem increpuit quod *puto* in *reputo*, *prehendendus* in *adprehendendus* commutatum est.

DE LIBRIS CP

59. Iam exploratum est familiam Bembinam et sermonis integritate et recta uocabulorum collocatione Calliopianam superare (§§ 33-35, 32), eamdemque uixdum externa redundantiaque uocabula recipere (§ 27), sed tamen interdum aliquid omittere (§ 30). Nunc incidit quaestio uel grauissima ad quam docti homines parum adhuc erecti attentique fuerunt : num in Calliopianis quattuor ulla supersint antiqua, quae ex alio libro Bembinis potiore excepta fuerint; quod quanti momenti sit ad Terentii opera emendanda edocere superuacaneum est. Plerique enim, ubi Bembini uerba simulque Victoriani et Decurtati a ceteris libris recedunt, audacter ea meliora ducunt, alia respuant, quasi Calliopianorum haec una uirtus uel hoc munus sit, ea, quae in ADG aperte deprauata sint, corrigere. Attamen incertum est an umquam Bembina uerba Calliopianus emendator in melius mutauerit. Praeterea nonne supra ostendimus eum nonnulla quae prisci sermonis essent in figuram uigentis consuetudinis conuertisse (§ 37)? Cur ergo in *satis* locum *sat* restitutum est, aut *quicum* pro *quocum* (u. u. 724, 759)?

Miror equidem quod eruditissimi uiri *sat* et *quicum*, ut Calliopiana contagione contacta, a se depulerunt, inuitis tot exemplis de quibus nulla est controuersia, neque locis ubi uerba illa a Terentio usurpantur collatis. De *sat* et *satis* iam edissertum est (§ 51). Quod autem ad *quocum* et *quicum* attinet, uidetur Terentius utrumque promiscue usurpauisse; sed dum *quocum, quacum* potissimum ponit tum cum nomini uel pronomini ablatiui casus obnoxium est, ut Phorm., 171 *cum eo lenone quocum*, Eun., 119 *cum illo quocum*, Hec., 554-55 *ab ea . . . quacum (quicum* Call.), ubi se res aliter habet, *quicum* fere semper legitur : Eun., 698, 759 (*quocum* D[1]G), Heaut., 178, 615, Ad., 477 (*quacum* P[1]), 750; semel tantummodo, Eun., 574, in *quacum* scribendo libri consentiunt. De quo quid iudicandum? an, quia Bembinus in orthographia dubius est, ut supra uidimus, neque hic antecedit nomen aut pronomen ablatiui casus, *quicum* pro *quocum* ponendum esse? Credo equidem *quocum, quacum* ex *cum eo, cum illo, ab ea* esse orta et usurpata, ut relatiuum pronomen, quod in *quicum* quasi lateret, ablatiuo casu melius proderetur; *quicum* autem tantummodo Terentianum esse.

60. Ceterum quattuor quidem uersus inuenias ubi Terentii uerba Calliopiani recte profecto, Bembini male tradiderunt. Primum enim consideremus totum hunc locum :

18. Ille ad famem hunc a studio studuit reicere :
Hic respondere uoluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene ;
21. *Quod ab ipso* (*illo A DG*) *adlatum est, sibi esse id relatum putet.*
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit

Qui *ab illo* pro *ab ipso* maluerunt, nihil aliud adsecuti mihi uidentur quam ut Terentii et orationem perturbarent et sententiam obscurarent. Nam cum *ille* ad « uetus poeta » (u. 13) respiciat, *hunc, hic* ad Terentium, cumque uersus 20 *Benedictis*, etc., haud dubie de eodem uetere poeta dicatur, quid est causae cur pronomen *ille*, in hoc uersu deficiens, quia sane nullo pacto necessarium est, restituere in sequentem oporteat? Praeterea perspicuum est *illo* adsumpto sententiam laborare; nam manifesto Terentius significauit se ueterem poetam non fuisse lacessiturum, ni ille prior ad uerba contumeliosa se contulisset, neque adeo illum id queri debere quod sua in se ipsum redundarent; unde sequitur ut, quia *sibi* in parte posteriore uersus positum sit, in priore *ipso* pro *illo* sit reponendum. Quod efficere non dubites, si respicias ad uersus proximos, 22 et 23, ubi, sententia eadem aliis quidem uerbis expressa, pronomina *illo* et *ipse* sibi respondent, itidem ut in superioribus uersibus apud Calliopianos *ille* et *ipso*.

61. Deinde in uersu 315 *Itane patris ais aduentum (conspectum* Call.*) ueritum hinc abiisse?*, improprietas uerbi *aduentum* uel maxime notanda est. Nam quo respicit *abiisse*? num abeundo Antipho sperabat se effecturum ut pater non adueniret? Tum qui poterat Antipho patris aduentum uereri, qui, cum abiit, sciret patrem iam aduenisse? Cur fugit, nisi quia, ut timidus homo, pro certo habebat fore ut patris irati uultum uerbaque non sustineret, atque suam causam desereret (cf. u. 216-218). Ergo ne dubitemus *conspectum* recipere, et eo libentius, quod numeri simul una cum sententia reparantur, cum in uoce *ais* non iam necesse sit ultimam

syllabam inuita prosodia producere. Quod autem ad locutionem attinet, cf. Heaut., 434 (*tuom*) *conspectum fugitat*, Hec., 788 *scio pol eis fore meum conspectum inuisum hodie*, etc.

62. Tertio loco u. 716 *Atque ita opus facto est*; *et* (*at* Call.) *matura, dum libido eadem haec manet*, legendum est *at*, non *et*. Cupit enim metuitque Chremes: qui animi motus uoce *at* pulchre significatur.

63. Postremo u. 1001 *Ohe (eho* Call.*) tu, factum est abs te sedulo*, cum Calliopianis faciendum est, quia Latini ad aliquem uehementer compellandum numquam *ohe tu*, sed *eho tu* semper usurpabant.

64. Praeterea hoc loco de personarum indicibus a Bembinis Calliopiani discrepant:

510. Pamphilam meam uendidit. *GE* (*AN*. AD'G) Quid?
[uendidit? *AN* (*GE*. AD'G) Ain, uendidit?
PH. Vendidit.

Temeritas est, opinor, Bembinis assentire; nam cui in obscuro est uerba *ain, uendidit*, quibus Phaedria interrogatur, uni Antiphoni conuenire, quoniam necesse est huic, non Getae, Phaedriam respondere? uerba autem *quid uendidit,* modo admirationem tantum significent, recte Getae posse attribui, praesertim cum is sermoni, qui inter fratres et lenonem habetur, re uera nusquam intersit.

65. Confitendum igitur Calliopianos CPFE, quanquam multis interpolationibus confusi sint, nonnulla tamen lineamenta antiqui progenitoris ostendere, qui Bembini auctoritatem aut compenset aut uincat.

66. Iam uero ex Calliopianis qui sint huius optimi libri iusti heredes si placebit inquirere, uidebimus aliquando CP orationem incorruptam una cum A referre, DGFE praebere infestam aut sententiae,

95. hic uiciniae ACP : huic uiciniae
768. casam ACP : causam

aut numeris,

217. mane ACP : mane mane
255. saluum ACP : saluum te
345. praebet ACP : praebeat
850. uapula ACP : uapulabis

aut Terentianae loquendi consuetudini,

755. illam alteram ACP : illa altera
898. dilapidat AC : dilapidet

67. Praeterea, dum ceteri libri atque ipse Bembinus errant, CP rectam uiam sequuntur :

526. sterculinum (sterci—C) CP : stercilinium
930. in in malam rem CP : i in malam rem

nam ratione metrica postulatur *sterculinum* et *in in* ;

428. metuit hic me CP : metuit hic nos

Mihi hunc locum diligenter examinanti haud dubium est quin Demipho Phormionem tantummodo metuat, neque suspectam habeat Getae fidem. Cum autem apud Terentium numquam *nos* pro *ego* uel *me* positum sit, audacter *me* recipiam. Quod consilium suadent quidem haec Getae uerba : *bene habent tibi principia* (u. 429).

68. Illis exemplis aliud quoque adiciendum puto :

296. Necessum (necesse* P) CP : necesse

Cur *necessum* critici aspernati sint haud facile est cognoscere; constat enim id uocabulum usque ad Lucretii aetatem usitatum fuisse; cf. Plaut., Asin., 895, Cas., 344, Rud., 1331, Stich., 219 (BCD), Mil., 1118 (B); Lucr., IV 121, V 57, 376.

69. Nunc si quis miratur quod in CP illius antiquissimi exemplaris uestigia tam pauca supersunt, meminerit hos pro sua quemque parte multo pauciora uocabula perspicue corrupta quam ceteros praeferre (§§ 7-14); cuius rei nullam idoneam causam esse iudicare oportet, nisi quod librorum CP archetypum accurate ad Calliopii « recensionem » retractatum sit. Qua re necesse est illud grauiter adulteratum fuisse et paene immutatum, ita ut perpauca uelut sinceri oris lineamenta discernerentur.

DE LIBRIS DG

70. Si re uera, quod supra arbitrabar, libri DG Bembino proximi cognati sunt, ubi ab illo dissentiunt, ibi eos oportet corruptam orationem praebere, quippe qui minus prouecti sint aetate, exceptis tamen locis quibus Bembinum ipsum, ut mendosiorem librum, peccauisse non incredibile est. Quae res enim ita se habet.

71. Nam addita sunt in DG uocabula septem, quorum quinque cum superuacanea sunt, tum rei metricae aut generi dicendi Terentiano aduersantur : 46 *sit*, 130 *unde*, 189 (*ego*)*met*, 197 *tu uno*, 478 *o*.

Omissa sunt nouem quae desiderantur aut numeris : 104 *uidemus*, 164 *haec*, 241 *maxume*, 373 *Geta*, 375 *ehem*, 397 *ea*, 642 *a*, aut sententia : 114 *eum*, atque 311 *at*, quod

ego puto esse restituendum, ut duae sententiae *abi, Phaedria... adduc* et *ego deos... deuortar* inter se melius pponantur, hoc modo :

310. *GE*. Nempe ad Pamphilam. *DE*. At
Ego deos penates, etc.

72. Nunc discrepantia uerba triginta nouem DG praebent, quorum triginta uitio aliquo deprauata sunt : 4 *ante*, 55 *rediit*, 79 *quid*, 112 *recte*, 152 *nemo*, 178 *est*, 189 *prouidissem*, 224 *meministi*, 226 *uicibilem*, 243 *ueniens*, *cogitas*, 301 *non*, 358 *faciat*, 391 *noueram*, 413 *sies*, 449 *ita*, 451 *esse*, 518 *poteris*, 520 *aduorsus*, 538 *sit*, 566 *facis*, 579 *obtulero*, 597 *sese*, 640 *peruenier*, 648 *eius*, 658 *istam*, 713 *dicat*, 742 *is*, 743 *sit*, 752 *collocaui*. Est tamen unum de quo disputari possit : 413 *itidem ut*, nam Terentius, ut Plautus, modo *itidem ut*, modo *item ut* usurpare uidetur.

73. De structura, octies reperias uocabula male esse collocata, siue quia numeros disturbant : 3 *ne scribat deterrere*, 13 *uetus poeta si*, 32 *motus est loco*, 253 *filium uideo*, 379 *ut mihi*, 692 *nunc cedo porro* (de quarto pede, cf. Etudes sur les groupes de mots, § 118), siue quia ab ordine iusto discedunt : 430 *tuis factis dignum feceris*, 51 *si quis quaeret me* (insolita caesura). In duobus uero locis dubius est animus : 164 *uita certo*, 634 *erus ut his*.

Denique indicem personae DG uersu 494 ante *uerum* also posuerunt.

74. Sunt autem undecim omnino loci quibus non errare DG putandi sunt. Nam et recte receperunt 656 *et*, quod numeris requiritur, et 715 *cui* pro *cum*. Praeterea

haec sunt exempla quae critici fere omnes libris DG uitio uertunt, nos uero reprehensione carere iudicamus.

168. Vt ne addam, quod sine sumptu ingenuam ac
[(*om. A, Call.*) liberalem nactus es

Minime oportet adiectiua inter se asyndeta esse, quoniam secundum non majorem uim uel aliam quam prius habet, sed uicinam et quasi adfinem. Itaque copula *ac* optime coniunguntur (Cf. 441 *cura et sollicitudine*, Ad., 57 *pudore et liberalitate*, 95 *parcum ac sobrium.*

75. 521. Pollicitantem, flentem et nil ferentem (et nil feren-
[tem, flentem *A, Call.*); nunc contra omnia haec

Si quis alios libros, ac non DG, secutus secum ipse quaerit quare Antipho fleat, quid eum sentire putes? an Antiphonem eo flere quod lenoni nihil attulerit? At haec ineptissima est sententia. Pulchre uero significant DG Antiphonem pollicitationibus et lacrimis ab lenone paucos dies impetrare, atque postea nihil ad tempus argenti afferre.

76. 293. Neque testimoni est dictio (dictio est *A, Call.*)
[— Mitto omnia
732. Nam quae haec est anus (anus est *A. Call.*), exa-
[nimata a fratre quae egressa est meo

Apud DG concinnior est uocabulorum collocatio. Nam substantiuo uerbo interiecto magis conspicuum fit *testimoni* et *haec*, atque eo sententia acutior.

77. 97. Ea sita erat exaduorsum neque illi beneuolens
98. Neque notus neque uicinus (cognatus *A, Call.*)
[extra unam aniculam
Quisquam aderat, qui adiutaret funus

Cum is qui loquitur sibi proposuerit describere quam

ab omnibus mulieres sint derelictae, cur non commemorauit adesse primo nullum cognatum, deinde nullum beneuolentem (cf. § 23), postremo ne notum quidem ullum? Constat uero diligentem gradationem in uersibus inesse, si *uicinus* pro *cognatus* legimus : nam abest amicus quisquam, abest uel notus, immo uicinus abest. Ita fit acerbior solitudo mulierum. Quod autem cognati nullam mentionem fecit, poeta magis laudandus est, ut opinor, quam uituperandus, eo magis quod mulieres peregrinae Athenis sunt.

78. *159.* Non potitus essem ; fuisset tum illos mi aegre [aliquot dies,
At non cottidiana cura haec angeret animum... [*PH.* Audio.
161. *AN.* Dum expecto quam mox ueniat qui adimat [hanc mihi aegritudinem (consuetu -*A*, *Call.*)

Quid sit *adimere consuetudinem* confiteor me non intellegere. Interpretantur quidem *consuetudinem* alii « possessionem puellae » ex *potitus essem* (u. 159), alii « puellam amatam ». Verum apud Terentium *consuetudo*, praeter uim propriam et uulgatam, significat semper et ubique eam amicitiam quae fiat ex familiaritate uel coniunctione puellae aut uxoris (gallice « attachement»). Est igitur affectus animi quidam amori proximus, ut dilucide apparet ex his locis : Andr., 279 *ut neque me consuetudo neque amor... commoueat*, Hec., 404 *etsi amor me grauiter consuetudoque eius tenet*, Andr., 110-11 *hic paruae consuetudinis causa huius mortem tam fert familiariter, quid si ipse amasset*, id., 560 *consuetudine et coniugio liberali deuinctum*, id., 438-39 *num illi molestae... haec sunt nuptiae huiusce propter consuetudinem hospitae.*

Quod cum ita sit, perspicuum est *qui adimat hanc mihi*

consuetudinem omni significatione uacare : nam qui potest adulescens metuere ne patris aduentu eam amare desinat quam uxorem duxerit ? Quid igitur ? praeferendumne *aegritudinem* ? Primum enim ea uox commendatur uerbo *adimere* quod aptissime cum *aegritudo* congruit (cf. Heaut., 422 *adimere aegritudinem*, Phorm., 886 *curam adimere*, Hec., 817 *ademi curas*, Andr., 339 *ut metum... adimam*, id., 304 *adempta spes est*, etc.). — At enim difficile est discernere cui rei conueniat ; nam male reuocat uocem *curam*, quae eo significantior est quod cum *angeret* est coniuncta. — Assentior equidem. Quocirca *aegritudinem* ad orationis membrum *fuisset tum illos mi aegre aliquot dies* referri arbitror, quicum sententia connectitur. Haec est enim loci significatio : « si puellam non duxissem, fuisset mihi aegre aliquot dies, donec pater rediens hanc mihi aegritudinem adimeret, sententiam de nuptiis dicendo ; nunc uero cura angit animum (quia patris dolorem et iram timeo) ». Abruptus est enim adulescentis sermo, ut qui in ea perturbatione naturam, non rationem, sequatur. Qua re fit ut sententia *at non cottidiana... animum* uelut interpositio quaedam (παρένθεσις) inter *fuisset... aliquot dies* et *dum expecto*, etc., intericiatur, atque uerbum Phaedriae « *audio* » quasi excitet et producat.

Hanc interpretationem orationis continuatio uel maxime confirmat. Nam neque Antiphoni dubium est quin pater in se benigna uoluntate futurus sit (cf. u. 153 *ut qui mihi consultum optime uelit esse*), neque Phaedriae quin frater numquam ab uxore distrahendus sit (cf. 162 *tibi quia superest dolet*, 164 *nam tua quidem hercle certo uita haec expetenda optandaque est*, 169 *quod habes... uxorem sine mala fama palam*).

79. 229. Nunc prior adito tu, ego in subsidiis (insidiis [*A*, *Call.*) hic ero
Subcenturiatus, siquid deficias

Primum locutio *in insidiis esse* pro *in insidiis collocari*, *considere*, etc., aliena a latina consuetudine esse uidetur; credo enim *in insidiis esse* nihil aliud ualere quam *in insidiis excipi*, *implicari*. Dein parum proprie uocabulum *insidiae* Geta usurpat, quandoquidem non significare uult se procul adstantem exspectaturum donec imparatum Demiphonem aggrediatur et opprimat, sed commode Phaedriae labanti et iam cedenti subueniat. Quae ratio et sententia elucet ex uerbis *prior adito tu, subcenturiatus siquid deficias*. Recte autem loquetur, congruentem et latinae orationi et suo consilio adhibendo locutionem *esse in subsidiis*.

De uersu 377, iam disputatum est § 46.

80. 726 Idem ego istuc facere possum. *CH*. Mulier mulieri [magis congruit (congruet CPFE conuenit A)

Chremes cogitat de naturae, morum, condicionis similitudine propter quam magis decet rem muliebrem a mulieribus tractari. Ad quam sententiam aperiendam aptius *congruit* mihi uidetur esse quam *conuenit*.

81. Denique partes suas personis optime assignauerunt DG hoc loco :

202. Nulla est mihi uita expetenda. *GE*. Ergo istaec cum ita [sint, Antipho,
Tanto magis te aduigilare aequom est: fortis fortuna [adiuuat.
204. *AN*. Non sum apud me. *PH*. (*GE*. A, *Call.*) Atqui opus [est nunc cum maxume ut sis, Antipho ;
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur

206. Commeruisse culpam. *GE* (*PH.* A, *Call.*) Hoc uerum est.
[*AN.* Non possum immutarier
207. *PH.* (*GE.* A, DCPFE) Quid faceres, si aliud quid grauius
[tibi nunc faciundum foret?

Scaenicae consuetudini repugnat quod nullis tertiae personae uerbis interiectis Geta Antiphonem suo nomine bis subinde compellat. Tum praeterea apparet in duobus sententiis non idem inesse ingenium : nam altera *(fortis fortuna adiuuat)* Antiphoni mouetur animus et uoluntas, altera (*atqui... commeruisse culpam)* mens et ratio. Quibus causis haud dubium esse puto quin libris DG assentiendum sit. Arbitror etiam uersum 207 Phaedriae quoque dandum, quia eo uersu is suam sententiam persequi pergit.

82. A uersu 780 G deest. Inter uarietates uerborum in D comparentes plurimae extrudendae sunt, paucae autem, quas necesse est ex archetypo communi deuenisse, accipiendae.

V. 855, cum ceteri libri ponunt : *sed qui istuc credam ita esse mihi dici uelim,* D in extrema parte uersus praefert : *dicas mihi uelim ;* quod si corrigetur in *mihi dicas uelim,* minus impedita, ut opinor, oratio erit quam apud ceteros libros (cf. Heaut., 1066 *ignoscas uolo*, Aul., 419 *ducas uolo*, etc.)

V. 968, D addidit *me* ante *astute.* Quanquam fieri potest ut id pronomen ex inferiore uersu proueniat (*me instigasti*), tamen, quoniam perraro uerbum *adgredior* absolute usurpatur, D non errasse putauerim (cf. eodem uersu *mecum*, uersu posteriore *me*)

V. 983, de *occurrere,* cf. § 35.

V. 1031, omnes libri praeter D exhibent post *nunc* pronomen *ea*, cui sententia numerique pariter repugnant (1).

1. Ceterum est ubi alter peccet, alter autem uera Terentii uerba retineat. Sic in uerbis collocandis D nonnumquam optima tradidit, uelut u. 332, propter figuram quae chiasmus dicitur; G autem approbandus est u. 767, quoniam *nos* meliore loco ponitur, atque melius hemistichium cadit.

CAPUT III

DE BEMBINO CUM CETERIS LIBRIS INTER SE CONSENTIENTIBUS COMPARANDO

83. Quoniam igitur ex gente Bembina DG una cum A orti sunt, neque Calliopianae participes sunt nisi ut insitiui quasi heredes, necesse est ADG ad Terentii orationem restituendam uniuersos plus ualere quam singulos; tum praeterea A plus auctoritatis habere quam DG, quippe qui maior sit natu, DG autem in honore tamen haberi, quia saepius ubi A mentitur, ibi uerum confitentur. Sed et ipsi Calliopiani haud parui sunt momenti, qui et cum Bembina gente propinquitate haud dubie coniuncti sint et nonnulla egregia ex antiquo scilicet libro deprompserint. Quamobrem qui Terentianas comoedias resarcire conantur, ii non in Bembino ita haerere debent ut ad ceteros libros numquam nisi necessaria re coacti respiciant. Quotiescumque uero incidit uersus in quo animus testimoniis uariis in diuersas partes distrahitur, priusquam Bembini auctoritati cedatur, toto loco diligenter perspecto et meditato, alii libri usque adeo singuli tentandi sunt donec firmissimis causis excludantur.

84. Quod opus maxime arduum fit, ubi DG Calliopianis coloribus infecti sunt. Nam cum Bembinus cognatorum subsidio destitutus minorem habet fidem, tum

in reliquis libris laboriosum est quae a Calliopio in integrae orationis locum supposita sint dispicere. Haec uero tanta difficultas una uia superanda est, si bene noueris non tantum Bembini mores et quasi insita uitia, sed etiam rationem qua Calliopius ad Terentianas fabulas recensendas usus est; ita ut quando Bembinus peccet quandoque Calliopius a corrigendo et interpolando desistat quam aptissime conici possit. Quo pacto eam rem consequi oporteret ut declararetur, Phormionem et mihi recensere placuit.

1° DE UERBORUM OMISSIONE

85. Primum uerborum praetermissioni operam dabo. Nonnullisloci s Calliopiani uerbum aliquid omiserunt detrimento numerorum uel sententiae uel orationis : *in* 108, *est* 110, *et* 199, *ea* 227, *dum* 492, *id* 506, *haec* 521, *hac* 750. Praeterea, quotiescumque uocabulum quoddam immerito addiderunt, cur id illatum sit aut unde prouenerit semper ubique dignosci potest. Etenim additum est aut ad locutionem quamdam Terentianam referendam : *mea* [*quidem*] *sententia* 335 (cf. Ad., 65, 959); *abi* [*hinc*] *in malam crucem* 368 (cf. *abin hinc in malam rem* Andr., 317, *malam in rem hinc ibis* Eun., 536, atque Phorm., 930); *o lepidum* [*caput*] 559 (cf. Ad., 966, 261); *tum* [*autem*] 665 (cf. Andr., 269, Eun., 303, 1037, Ad., 315, etc.); *ain tu* [*tandem*] 970 (cf. Andr., 859, 875, Phorm., 373, Ad., 276); aut quia ad orationem explanandam uel sententiam id utile uidebatur : *il'e*[*ne*] *indotatam*... *daret illi* 120-121; *ecquid locutus cum ista* [*es*] (A, *locutu's*) 798. Nonnumquam nihil est aliud quam glossa in uersum recepta : *inquit* 662 (cf. 650, 667), *duo* 791,

atque, ut opinor, *tibi* 970, *mihi* 973, *me* 1011; aut librarii peccatum *abi[tu]uise* (*tu* = *ui*) 445, *ut[ut]* 820, *adducerem[em]* 881.

86. Superest uersus in quo nullo pacto potest expediri unde uerbum adiectum originem ducat :

754. Quid? duasne [is] uxores habet?— Au, obsecro, unam [ille quidem hanc solam

Plerique pronomen *is* ad uersum sanandum recidunt. *Is* uero minime reprehendendum est, quoniam huius modi pronomina Latini ad nomen uel aliud pronomen repetendum adhibere solent (cf. *Antiphonin, isti ipsi* 753), *obsecro* autem hoc loco ab oratione Terentiana uel maxime abhorret, quia numquam nisi cum uerbis interrogandi, quaerendi, imperandi, etc., coniunctum usurpatur. Neque in obscuro est unde prouenerit : id corrector aliquis, auctore uoce *au*, deprompsit ex paucis locis quales Eun., 656 *au, obsecro, mea Pythias, quod istuc nam monstrum fuit;* id., 899 *au, tace obsecro*; Heaut., 1015 *au, te obsecro, istuc inimicis siet;* Phorm., 803 *au, obsecro, uide ne in cognatam pecces*. Quapropter arbitror equidem Alfredo Fleckeisen assentiendum, atque sic uersum corrigendum esse :

Quid? duasne is uxores habet? — Au, unam ille quidem hanc [solam

87. Nunc si reuoces in memoriam Bembinum septem et triginta uerba omisisse (§ 12), hoc est quater tot quot Calliopianos (§ 85), ubi uocabulum quoddam in his adest quod in Bembino deest, incolumi quidem sententia et oratione, neque id qua causa sit inductum dilucide

apparet, tum iure colligas id potius a Bembino omissum quam a Calliopio additum esse. Quare assentior Bembino in his uersibus:

810. Quid est ? — Itan paruam mihi fidem esse apud te. —
[Vin me [hoc] credere
951-53. Quod dictum, indictum est; quod modo erat
[ratum, [id] inritum est. —
Quo pacto aut unde haec hic resciuit ? — Nescio,
Nisi me dixisse [id] nemini certo scio
1050. Phormio, at ego ecastor posthac tibi quod potero[et]
[quod (quae *Call.*) uoles
476. Tum Phormio itidem in hac re ut [in] aliis strenuom
[hominem praebuit

Nam, praeterquam quod re uera neque *hoc* neque *id* utilitatis quicquam afferunt, perspicuum est *hoc* esse fictum ex *scire aut nescire hoc uolo* (u. 809), atque *id* inepte cum uersu 951, tum uersu 953 (cf. *haec* 952) ab eodem emendatore additum esse; tum, uersu 1050, quia *quod potero* quid ualeret non intellegeretur, ut sententia et oratio illustriores fierent, *et* esse excogitatum, atque fortasse *quod* in *quae* conuersum; postremo, uersu 476, *in* ab *in hac re* esse sumptum.

88. Contra ea, his locis,

155. Quod ni fuissem incogitans, ita eum (*om.* A) expec-
[tarem, ut par fuit
183. Quid nam (*om.* A) illic commotus uenit
236. « Inuitus feci, lex coëgit » ? Audio et (*om.* A) fateor. —
[Places
259. Eho an tu (*om.* A) id suscenses nunc illi ? — O (*om.* A)
[artificem probum
386. Perii hercle, nomen perdidi. — Hem (*om.* A), quid ais ?
[— Geta

650. Egò, inquit, iam (*om.* A) a principio amici filiam
808. Vt propior illi, quam ego sum ac tu, homo (*om.* A)
[nemo est. — Di uostram fidem
818. Quo pacto id (*om.* A) potuit? — Non satis tutus est ad
[narrandum hic locus

cum Calliopianis sine ulla dubitatione fecerim ; nam horum omnium uerborum nullum est quin non modo ad latinam consuetudinem et Terentianum dicendi genus aptissime conueniat, uelut *iam* 650, *homo* 808, etc., uerum etiam sententiae plus grauitatis addat, ut *nam* 183, *hem* 386, aut plus leporis, ut *tu* et *o* 259, quibus mire declaratur tum Phaedriae lepida audacia (cf. *egon illi* 260), tum Getae laetitia.

2° DE UERBORUM DISCREPANTIIS

89. In commutandis uero uerbis quam rationem Calliopius secutus sit iam breuiter attigi (§ 37) ; nunc autem copiosius in hac re dicere licet.

Cum imprimis antiquam Terentii consuetudinem ad suam aetatem accommodare conetur,

1° Uetusta in nouam figuram quasi conuertit : 44 *compersit* in *comparsit*, 99 *adiutaret* in *adiuuaret*, 773 *possiet* in *possit*, 800 *praeterhac* in *praeter haec*, 852 *ipsus* in *ipse*, 880 *adhibendae* in *habendae*, 1038 *illoc* in *illo;* item 507 *quo pacto* in *quo modo*; aut qualibet arte explicit: 88 *(exaduorsum) ei loco* pro *(exaduorsum) ilico ;*

2° Uocabula mutat, quorum uim scilicet non sentit : 97 *exaduerso* ex *exaduorsum*, 232 *age* ex *ac*, 312 *aliquot* ex *aliquos*, 469 *pateretur* ex *poteretur*, 643 *libuit* ex *licuit*, 853 *honoratissime* ex *ornatissime ;*

3° Uerbi modos, quoniam eorum usum non iam intellegit, commutat, legibus recentioribus obsequens; itaque

nunc ponit indicatiuum pro subiunctiuo : 17 *tractant*, 154 *uenit*, 230 *deficies* (cf. *ero* 229), 827 *possum*; nunc subiunctiuum pro indicatiuo : 736 *agam*. 737 *cognoscam*, 840 *egrediatur*, 853 *uiuant*, 897 *dilapidet*; est autem ubi modum obtineat, alia particula coniunctiua utens : 314 *cum adueniat* pro *si ueniat;*

4° In struendis uerbis, ubi quid sibi exoletum aut obscurum uel perplexum esse uidetur, id ad renouandum et explanandum, audacter uocabula flectit et mutat; sic 135, *persuasum est* in *persuasit* uertit, nempe quod putabat *persuasum est*. itidem ut *factum est*, *uentum est*, esse concessum, *persuasum est homini* autem uetitum; aut ignorantia genitiui casus ex pronomine pendentis, reposuit 410 *dotem dare* pro *dotis dare* (cf. *id quod lex iubet* 409), et 516 *quod bene promeritus* pro *quod boni promeritus*; aut uerborum conformationibus deceptus, 556 *bona malaque* pro *bona mala* (asyndeton), 670 *filius* pro *filium* (prolepsis); denique non alia mente correxit : 468 *tibi domi est* in *tuae domi est*, 538 *quod opust* in *cum opust*, 674 *quantum potest* in *quantum potes*, 681 *inde sumam* in *id sumam*, 701 *apparandi nuptias* in *apparandis nuptiis* (cf. 702 *uocandi*, *sacrificandi*, ac uide supra de *persuasum est* 135), 730 *indigna iniuria adficiatur* in *indigne iniuria*, etc., 786 *adiuues* in *adiuuas* (fortasse quia illi excidit *fac ut* 784), 995 *quid ergo? quid istic narrat* in *quid ergo est quod*, etc., 1015 *quin sit* in *quae sit*, 1048 *nomen dic quid est* in *nomen dic quod est*, atque interrogatiuam particulam *-ne*, *an*, inepte addidit : 389 *egon*, 737 *adeon an maneo*, 1033 *meriton ;*

5° Postremo, quoniam Terentii subtilem orationem non bene perspicit, haud raro euenit ut eam sibi suspectam purgare aggrediatur, dum interpolando diligenter cauet

ut rebus uerbisque proximis concinat, proinde ac si Terentium ex ipso Terentio emendaret; sic corrigit 71 *hic* in *hinc* (cf. *abeuntes*), 210 *adsimulo* in *adsimulabo* (cf. *arbitrabitur* 205, *faciundum foret* 207), 235 *dicet* in *dicent* (cf. *dicent, reperient* 234), 294 *addo* in *adde* (cf. *sino*), 310 *quidem* in *equidem* (cf. *eo* 309), 482 *quantum* in *quantus* (cf. *metus est*), 605 *eo* in *hoc* (cf. *hinc* 604), 630 *pono* in *pone* (*cf. sudabis* 628, *inceptas* 629), 675 *mittam* in *amittam* (cf. *amittere* 673), 728 *quo* in *cui* (cf. *quem*), 806 *narras* in *narres* (cf. *concedes* 805, *intelleges* 806), 836 *suas* in *suam* (cf. *causam*), 991 *obstipuisti* in *obticuisti* (cf. *respondes, respondeat* 992), 1002 *dices* in *narras* (cf. *tu narra* 1000, *narret* 1001), 1014 *meritum* in *meritam* (cf. *culpam*).

Adde etiam quod corrigendo nullam metricae rei rationem habebat, quippe qui multis locis numeros disturbaret : 154, 210, 310, 556, 675, 737, 773, 840. 853, 880, 1033 (cf. § 38).

90. Nemo igitur infitias ibit, credo, Calliopium illum crasso et pingui fuisse ingenio, qui fabulas Terentianas adeo infeliciter retractaret ut, quicquid attingeret, foedaret et corrumperet. Quapropter, si quid in Calliopianis libris a Bembino discrepans erit, quod numeris obseruatis et latinum sermonem sequatur et probabilem sensum praebeat, id putabimus non a Calliopio esse confictum, sed ab aliquo libro acceptum. Tum opus erit iudicare uter in hac re liber meliora tradiderit.

91. Ex moribus Bembini agnosci potest quando is Calliopianis deterior sit; nam apud eum u. 117 scriptum est *faceret*, et u. 768 *dicunt* (A^1), quia in librarii mente haesit *facere* ex u. 116, et *dici* ex u. 767 (cf. § 10); tum

u. 792 *nat*, id est *natum* (*nat<um>uellem* ; cf. § 8), ex praecedente uocabulo *uirum* prouenit (cf. § 9); quibus locis Calliopiani recte transcripserunt : *ageret, aiunt, natam*. Item hoc uersu :

363. Pauper, cui in (*om.* A) opere (opera A) uita erat, ruri fere
Se continebat : ibi agrum, etc.

splendidior est sententia ; nam Phormio indicare uult Stilponem, ut hominem pauperem et ingenuum, in agro colendo uictum sibi parare ; unde Calliopianis obsequendum est, quia *opus* idoneum est uocabulum ad negotium rusticum significandum (cf. Hauler, Phorm.). Bembinus uero primum omisit *in* post *cui*, deinde uox *opere* conuersa est in *opera*, quia proxima (*uita*) littera *a* terminabatur (cf. § 9). Apud hunc autem uersum,

265. Vnum cognoris (cum noris A), omnis noris. — Haud ita est

haudquaquam credibile est *cum noris* ab illo indocto Calliopio in *cognoris* emendatum esse ; quin immo, si is huic *cognoris* non pepercisset, scripsisset, credo, *cum noris*. Itaque erudito uiro Paulo Thomas assentiendum est, qui *cognoris* Terentianum esse pulchre demonstrauit (Syntaxe du futur passé dans Térence, Extr. de la Revue de l'instr. publique, XIX, 6e livr. (p. 13), Gand, 1876).

92. Sed ecce nonnulli loci quibus Bembinum deserere, Calliopianos sequi non dubito :

482. Quantum metui est mihi, uenire (uidere A) huc saluom
[nunc patruom, Geta

Videre saluom non tolerari potest, quia *saluom* sensu uacat, nisi forte Antipho maluit uidere patrum aegrotum uel mortuom ! Contra, si legitur *uenire*, quod quidem

certo testimonio firmatur : *dum huc adueniat* 480, nulla offensio est in uocabulo *saluom*, quoniam *uenire saluom* solida est locutio, quae nihil aliud quam *uenire* ualet.

93.538. Quin, quod opust, beneficium rursum ei experia-
[mur (experiemur A) reddere

Qui *experiemur* laudant, interrogatiuam faciunt sententiam *quin... reddere.* At si res ita se haberet, non futuro tempore, sed praesente poeta usus esset; nam *quin experiemur* soloecismus est. Pro certo igitur habeo *experiamur* recte in Calliopianis scriptum esse : hic enim est subiunctiuus qui dicitur adhortatiuus; *quin* autem idem atque *immo* significat (cf. *itane hunc patiemur fieri miserum*, u. 536).

94.737. Qui est eius pater. — Adeo, maneo, dum ea (haec A)
[quae loquitur magis cognosco

Apud comicos poetas *hic* primae personae pronomen est, *iste* secundae, *ille* tertiae. Hoc uersu, propter *quae loquitur,* necesse est *illa* adhiberi, aut, ut in Calliopianis, pronomen uicarium *ea*.

95. 761. Sine nostra cura, maxima sua cura haec (*om.* A hic
[*Donat.*) sola (solus A) fecit

Hoc me fugit, quare critici omnes in Calliopianis uerbis reiciendis pertinaces sint, cum Sophrona dilucide asseueret ipsa se rem absoluisse (*ut potui nuptum uirginem locaui*, u. 752), cumque Terentius Antiphoni molle ingenium inertemque animum conformauerit. Quid sibi uult *maxima sua cura*, si Chremes Antiphonem cogitat? nisi forte subtilis ille Terentius Chremetem in hoc graui tempore ridiculum esse statuit!

96. 877. A : Atque ego quoque inaudiui illam fabulam. — [Immo etiam dabo
CALL. : Atque hercle ego quoque illam audiui fabulam.—

Bembinum uersum esse corruptum duco, 1° quia uox pyrrhichia *ego* leges metricas euertit (cf. L. Havet, Revue de phil., 1901, p. 100) ; 2° quia *inaudiui* pro *audiui* numquam a Terentio usurpatur ; 3° quia uerborum collocatio languida est, pronomine *illam*, cuius uis hic praecipua est, substantiuo nomini inhaerente. Calliopianum autem uel maxime laudandum censeo, 1° quia Antiphonis admiratio adiecto *hercle* egregie declaratur ; 2° quia ea concinnitas adest uerborum qua non altera potior sit, quandoquidem pronomen *illam* a nomine segregatum magis elucet et quasi eminet ; 3° quia non a Calliopio aut emendatore quouis potuit *hercle* excogitari et uerba in hunc optimum ordinem collocari.

97. *912.* Olim cum honeste potuit, tum non est data;
913. Nunc uiduam (Eam nunc A) extrudi turpe est. [Ferme eadem omnia

Postquam Conradus Sydow exquisitis argumentis edocuit integerrima esse Calliopiana uerba (p. 47), est quod mireris nonnullos in frigido et inconcinno Bembini uersu etiam nunc haerere.

98. 989. Vel oculum exclude (exculpe A) : est ubi uos ulciscar [probe

Hoc loco *exsculpe* non insolens tantum, sed etiam alienum est : nam latine *exsculpere* idem significat quam *extorquere*, hoc est *sibi per uim rapere* ; cf. enim Eun., 712 *possumne ego hodie ex te exsculpere uerum?* ; Lucil.,

Sat. (Baehrens) 207 *esuriente leoni ex ore exsculpere praedam;* Plaut., Cist., 541 *uix exsculpsi ut diceret.* Quapropter apud Plautum non reperitur *oculum exsculpere,* sed *oculum excludere* (Pseud., 510 *excludito mi hercle oculum*), itidem ut hic apud Calliopianos.

Ad illa haec sunt addenda quae nullam controuersiam mouent : *sat* 636, 768, *qui* 655, *ulcus* 690, pro *satis, ut, uolnus.*

3° DE UERBORUM COLLOCATIONE

99. De uocabulorum collocatione, meminerimus libros in hac re eo magis peccare quo recentiores sunt. Quapropter iudices Calliopianos non ita corruptos esse, quanquam a recto ordine paulo frequentius quam Bembinus deerrare uidentur. Mitto aperta peccata : 872 *pater est,* 970 *peregre,* 1034 *quando iam;* apud eos male scriptum est :

290.	me omnium horunc	*pro*	me horunc omnium
633.	sumus nunc inquam hic	—	sumus nunc hic inquam
955.	a nobis tantum hoc argenti	—	a nobis hoc tantum argenti
1043.	iam meam scias sententiam	—	meam iam scias sententiam

quia pronomina uel aduerbia rectius collocantur; tum praeterea :

500.	ut phaleratis dictis ducas	*pro*	ut phaleratis ducas dictis
604.	si is dat	—	is si dat
952.	unde hic haec resciuit	—	unde haec hic resciuit

quia rursus usitatus ordo non est seruandus, ut uocabulum, in quo plus ponderis insit, praecipuo loco enuntietur : *phaleratis, is, haec.*

100. Recte autem legitur :

215.	sed quis hic est senex quem uideo	*pro*	sed hic quis est senex, etc.
309.	eum require atque adduce huc	—	eum require atque huc adduc
776.	uxorem huc eius adducam	—	uxorem eius huc adducam

quoniam apud comicos poetas *quis hic* tantum usurpari solet (cf. *quis hic est homo* Eun., 676, *quis hic homo est* Phorm., 991, *quid hoc hominis* Eun., 546, *quae haec est fabula* id., 689, etc.); tum quia *adduce huc* scribendo efficitur orationis figura quae chiasmus dicitur, ac u. 776 *huc* pulchre a uerbo *adducam* distrahitur.

101. Est etiam ubi neque Bembinum neque Calliopianos approbauerim.

844. Sed ego nunc mihi (mihi nunc ego *Call.*) cesso, qui [non umerum hunc, etc.

Congreganda sunt pronomina, ut opinor, et legendum : *ego mihi nunc cesso.*

742. Ne me istoc posthac nomine appellassis. — Quid ? non [(non is DG non es CPFE) obsecro es (**D[1] *om.* GCPFE)
Quem semper te esse dictitasti ?

Pronomen *is* aeque quam *es* oratione et sententia postulatur. Quamobrem libro D[1] assentiendum est, leui tamen correctione adhibita, ita ut *is* in suum locum restitueretur. Sic igitur legendum censeo : *Quid ? is non obsecro es*, etc.

102. Restant pauci uersus quibus quae sit recta uerborum collocatio incertum est :

	A	Calliopius
415.	ut ne quid turpe ciuis in se admitteret	ut ne quid ciuis turpe, etc.
667.	his rebus sane pone, inquit, decem minas	his rebus pone sane, etc
821.	eius modi in animo parare cupiditates	eius modi parare in animo, [etc.
842.	quam subito meo ero Antiphoni	quam subito ero meo, etc.
853.	omnium... homo hominum ornatissime	omnium... hominum ho- [mo, etc.
930.	in in malam rem hinc cum istac, etc.	in hinc in malam rem, etc.

Si conscientia tum latinae orationis, tum numerorum pro testimonio haberi possit, malim equidem in his exemplis Bembinum sequi.

4° DE PERSONARUM NOTIS

103. Iam de personarum notis cauendum ne Bembino temere mos geratur (cf. §§ 16, 19-20). Calliopiani quidem non ita raro labuntur: 214, 215, 458, 519, 561, 618, 869, 982, 983-84, 985, 1009; facile est tamen ostendere eos debitam fidem adhuc non habuisse, atque dignos esse qui maiore in gratia sint.

104. *610.* *GE.* Venire saluom uolup est. *CH.* Credo. *GE.* [Quid agitur?
[*CH. sust.* A²] Multa aduenienti, ut fit, noua hic ?
[*CH.* (*add.* A² *om. ceteri*) Compluria.
GE. Ita de Antiphone audistin quae facta? *CH.* [Omnia.
GE. Tun dixeras huic? facinus indignum, Chremes,
614. Sic circumiri! *DE.* (*CH.* A) Id cum hoc agebam [commodum

In hoc loco primum asperitates paucae aequandae sunt. Nam uersu 611 aduerbium *hic* non tantummodo superuacaneum est, quoniam ipsum *aduenienti* participium pulchre locos indicat, sed etiam inepte in extrema sententia positum est; quare hanc emendationem adhibendam puto: *multa aduenienti, ut fit, noua ? CH. Sic compluria* (*sic* = *noua*). Tum u. 612, si quid *ita* significare aequum est, cum in interrogatiuo enuntiato Terentius particulam *-ne* numquam quarto uocabulo affigat (cf. Hauler, Phorm.), necesse est corrigamus *audistin* in *audisti,* ita ut enuntiatum potius dubitatiuum

quam uere interrogatiuum fiat (gallice: alors (*ita*) vous avez appris... ?) : inde illud *tun dixeras huic?* Nunc ad uersum 614 si spectamus, haud dubium est quin uerba *id cum hoc agebam commodum* in Demiphonem cadant. Etenim *aliquid cum aliquo agere* idem ualet atque *aliquid apud aliquem disserere*; Demiphonis est igitur narrare quibus artibus Antipho circumuentus sit, Chremetis autem id auscultare. Adde etiam quod sic Demipho Getae quasi respondet (cf. *tun dixeras huic ?*), atque pronomina *hoc* et *huic* consentaneum est eamdem personam designare.

105. 616. Inueni, opinor, remedium huic rei. *DE.* (*CH.* A) [Quid, Geta?
<*DE.* A> Quod remedium ?

Cum Calliopianis uerba *quid... remedium* unius Demiphonis esse significantibus sto equidem atque facio, quia Chremetem priorem exclamare, Demiphonem posteriorem mihi non par uidetur, cum res quae agitur ad Demiphonem potissimum pertineat; tum autem quia inter *quid, Geta?* et *quod remedium?* non nihil interest : nam illud mirantis, hoc interrogantis hominis est, ita ut duae sententiae in eodem ore uersari possint.

106. 642. *GE.* A primo homo insanibat. *DE.* (*CH.* A) Cedo [quid postulat
643. *GE.* Quid? nimium quantum [licuit]. *DE.* (*CH.* A) <Quantum> dic. *GE.* Si quis daret

Non Antiphonis patruum decet interrogare quantum sibi Phormio postulet, sed patrem, a quo argentum numerandum erit. Itaque Calliopianos potissimum sequi debemus, qui duobus in his uersibus Demiphonem pro

Chremete ponunt. Quod testimonium commendant et corroborant tum Demiphonis illae uoces : u. 644 *immo malum hercle*, 661 *quid si animam debet*, 662 *age age iam ducat, dabo*, 663-664 *oiei nimiumst*, tum quod interea Chremes a sermone quasi recedit, neque prius loquitur quam pecuniæ partem se daturum promittendo, Demiphonem maerentem et conquerentem recreet.

107. 986. Nausistrata, exi. *CA*. Os opprime. *DE*. (*om.* A) [Impurum uide
Quantum ualet. *PH*. Nausistrata, inquam. *CH*. ([*DE*. A) Non taces?
988. *PH*. Taceam? *DE*. Nisi sequitur, pugnos in [uentrem ingere.

Calliopianis etiamnunc assentiendum est, qui uerba *impurum... ualet* non Chremeti, uerum Demiphoni tribuunt. Hic enim quem ille Phormioni os opprimere iussit, respondet se iussa exsequi non posse, quia ualidior uiribus parasitus sit (cf. *enim solus nequeo occurrere*, u. 983). Item posteriore uersu sententiam *non taces* Chremetis in ore Calliopiani iure posuerunt; nam et huius Nausistrata uxor est, et huic potius quam Demiphoni timendum est ne ea foras exeat. Praeterea uersu 988 uerba *nisi sequitur... ingere* Chremeti quoque tribuenda sunt, non tantum quia unus Demipho cum Phormione pugnat, dum Chremes eum retinere conatur, sed etiam quia rerum in serie *nisi sequitur* (subaudito *te in ius*) cum *rape hunc* (u. 985) coniungitur.

108. 990. *NA*. Qui nominat me? *CH*. (*om.* A) Hem. *NA*. [(*om.* A). Quid istuc turbae est, obsecro,
Mi uir? *PH*. Ehem, quid nunc obstipuisti?

Perfectum *obstipuisti* pro praesente *obstipes* obscurum est neque comprobari potest, si uxore foras excitata Chremes nihil aliud nisi silet. *Hem* uero signum est illius uehementis mirationis quam stupor iam excipit.

109. 1004. In Lemnò... *CH* (*DE.* A) Hem, quid ais? *DE.*
[(*CH.* A) Non taces? *PH*... clam te. CH. Ei mihi.

Qui Terentiana oratione delectatur, is sane indignabitur quod in Bembino Demipho prior Phormionem interpellat, cum Chremes uerbo *Lemno* audito trepidet ne parasitus suum facinus loquendo detegat, Demipho autem in hac re plane securus sit Quin immo suspicor equidem Chremetem etiam uerba *non taces* una cum *hem quid ais*, summissa uoce et quasi in aurem Phormionis emittere, aIque in libris notam personae post *quid ais* falso esse additam, ut fit nonnumquam, ubi interrogationem interrogatio altera sequitur (cf. u. 616).

110. 1054. Pol uero uoco. *DE.* (*PH.* A) Eamus intro hinc.
[*CH.* (*NA.* A) Fiat. Sed ubi est Phaedria
Iudex noster? *PH.* Iam hic faxo aderit.

Non Phormioni attribuenda sunt uerba *eamus intro hinc*, quoniam ille uersu posteriore se iam abiturum ad Phaedriam quaerendum significat (*iam hic faxo aderit*). Tum, praeterquam quod parum uerisimile est Chremetem usque ad finem fabulae silentium obtinere, in huius ore majorem grauitatem habet interrogatio : *sed ubi est haedria iudex noster?*, quia in uxoris gratiam redire gestiens non dubitat quin Phaedria apud eam uerba pro se faciat (1).

1. Vide quam infelix sit criticorum labor. His uersibus :
1046-48. Quod is iubebit faciam. *PH.*
[Mulier sapiens es, Nau-
[sistrata.
NA. Satin tibi est? *PH.*
[<Satis?>; immo uero pul-
[chre discedo et probe
Et praeter spem. *NA.* Tu
[tibi nomen dic quid est.
[*PH.* Mihin? Phormio
manifesta est notarum commutatio. Nam absurdum est Phormionem uersu 1046 Nausistratae assentiri, ut pote qui uirum cum uxore componere minime cupiat. Tum quis non uidet uersu 1048 Nausistratam pronomine *tu* adhibendo aliam personam compellare atque priore uersu compellauerit? Recte igitur Richardus Bentley Phormioni Demiphonem uersu 1046, Chremetem uersu posteriore substituit. Nemo tamen eum adhuc constanter secutus est, ita Bembini superstitio praeualuit.

CAPUT IV

DE CALLIOPII RECENSIONE

111. Iam satis exploratum est Calliopium in manibus habuisse librum egregium atque auctoritate Bembino prope parem. Qui liber, quanquam saepius iisdem uitiis inquinatus est quibus Bembinus, adeo ut uix credas eum non ab eodem archetypo prouenisse, tamen, quam propriam sibi dignitatem merito uindicare possit, demonstrat testimonium quale u. 877 *atque hercle ego quoque illam audiui*, aut u. 913 *nunc uiduam extrudi*.
Ceterum perantiquam originem se petere conspicuo signo profitebatur. Picturis enim ornabatur singulari opere artificioque perfectis. quas in codicibus CPF etiam nunc demirari possumus. Has autem imagines qui diligenter et accurate inspexerunt, eas primo saeculo post Christum natum inuentas esse et primum descriptas consentiunt (Cf. Leo, Rhein. Mus., 38, p. 342, et K. E. Weston, The Illustrated Terence Manuscripts, Harvard Studies, 1903, p. 54).

112. Fuerunt uero qui contenderent antiquissimas illas picturas non esse sumptas ex eodem libro quo

scriptura, quod, cum necesse esset personarum indices cum picturis consentire, ut in picturis nomina personarum cum ipsis personis, nonnumquam fieret ut tum inter picturas et indices, tum inter nomina et personas, summa dissentio esset (Cf. Schlee, p. 6-7); quin etiam scripturam ipsam, quae picturis quasi aequalis et socia fuisset, periisse. Quia uidebant autem picturas fere semper indicibus librorum DG respondere, sibi persuaserunt ex Calliopianis familiam librorum DG antiquiorem, PC autem recentiorem esse.

113. In illa doctrina quid ueri, quid falsi inesset difficile erat discernere, priusquam de conuenientia picturarum cum personarum indicibus integra ac diligens inquisitio institueretur. Quam operam nuper J. C. Watson suscepit summaque cura ad extremum exsecutus est (Scene-Headings and Miniatures in Terence, Harvard Studies, XIV, 1903).

Is autem, cognitione absoluta, sic concludit: 1° indices personarum, qui cuique scaenae praepositi sunt, plerumque eumdem ordinem exhibent atque picturarum personae ; 2° quotiescumque legitimus ordo in picturis turbatus est, idem in indicibus est inuersus ; apud libros autem C P, nomina in iis scaenis tantum omissa sunt aut falso collocata, quae insolitum ordinem indicum praeferunt ; 3° indices non attribuendi sunt opifici qui picturas descripsit, sed posteriore aetate ex scaenis extracti sunt, atque ad ordinem personarum pictarum exarati sunt; 4° indices a picturis originem ducunt, et per librum qui erat eiusdem familiae ac Bembinus traditi sunt ; 5° picturae numquam a scriptura disiunctae fuerunt ; 6° libri CP exemplar quo

opifex in inueniendis picturis usus est melius quam ceteri referunt.

Quod uero ad libros D G attinet, primum de indicibus discrepantias quasdam praebent quarum nullum apud libros C P uestigium exstat; tum verisimile est eos ab archetypo picturis destituto prouenisse; nam, multis locis quibus libri picturis ornati imagines habent, ille archetypus nouas scaenas non indicat : unde colligi aequom est libros D G non ad eamdem ac C P familiam pertinere. Hinc igitur confirmantur quae de librorum D G origine ipse in hoc opusculo supra conieci.

114. Non igitur dubium est quin libris CPF iusta fides adhuc derogata sit. Verum tamen, postquam maculas a Calliopio — uel illo emendatore cui nomen Calliopius assignari solet — illatas deterserimus, etiam nunc cauendum erit : insidiosi enim sunt. Reperiuntur enim saepius apud Bembinum et Calliopianos uoces discrepantes, figura metrica consimiles, significatione pares, quae numeris atque sententiae pariter satisfaciant, uelut 141 *amitte* et *omitte*, 388 *nosses* et *noris*, 477 *senem* et *patrem*, 489 *non queo* et *nequeo*, 491 *metuo* et *uereor*, 622 *componamur* et *componantur*, 803 *uide* et *caue*, 978 *asportarier* et *deportarier*, etc. In illis autem uerbis usurpandis raro Bembinus, saepissime Calliopiani errant. Nec uero huius discrepantiae ratio in promptu uersatur; nam Calliopii emendationes uel maxime insignes sunt, neque is quicquam sine causa correxit (cf. § 89); tum uix intelligi potest cur uoces *metuo*, *caue*, *deportarier* in locum uerborum *uereor*, *uide*, *asportarier* substitutae sint. Illud deinde conspicuum est quod talia extremam uersus partem saepe frequentant.

461. Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar [(exsequar *Call.*)

477. Quid is fecit? — Confutauit uerbis admodum iratum [senem (patrem *Call.*)

491. Ei, metuo lenonem nequid suo suat capiti. — Idem ego [uereor (metuo *Call.*)

494. Crede mihi, gaudebis facto; uerum hercle hoc est. — [Somnia (somnium *Call.*)

633. Soli sumus nunc hic, inquam; eho, quid uis dari (dic [quid uelis *Call.*)

828. Rogem, quod tempus conueniundi patris me capere [suadeat (iubeat *Call.*)

972. Quin nouo modo ei faceres contumeliam (contumelias [*Call.*)

978. Non hoc publicitus scelus hinc asportarier (deportarier [*Call.*)

989. Vel oculum exclude; est ubi uos ulciscar probe (locus [*Call.*)

115. Ego uero rem sic se habere opinor: discrepantias illas plerumque a librario esse profectas, qui indiligentiam conscientia numerorum compensaret. Haec enim sunt uerba cognominata quae quis parum attentus in locum uerae orationis imprudens substituere solet, siue uersum uel uersus partem memoriae mandauit, quo expeditius transcriberet, siue sententiam numerosque tenens, ut operae parcat, exemplar interrogare praetermittit. Unde fit ut ea potissimum in extrema uersus parte occurrant: nam hoc loco, quia certo pede uersus terminatur, huius modi librarius de numeris maxime securus est; quapropter ne quid commutet minus cauet.

Non igitur necesse est fingamus alterum emendatorem exstitisse, qui rei metricae peritus esset. Respiciamus enim ad uersum 828,

Huiusce habendae. Sed ubi nam Getam inuenire possum
828. Vt rogem quod tempus conueniundi patris me capere
[suadeat (iubeat *Call.*) —
Argentum accepi, tradidi lenoni, abduxi mulierem.

Recte Bembinus exhibet *suadeat*; ita fit ut septenariorum iambicorum continuatio octonario more Terentii concludatur, quoniam noua scaena inducenda est. Librarius ille autem pro *suadeat* cognominatum uerbum *iubeat* scribere potuit, nec sentire se rem metricam uiolare, ut qui superiorum uersuum modos retineret.

Eodem fere pacto ad Ad., 208 (cf. § 56):

Sed nemo dabit; frustra egomet (ego *Call.*) mecum has
[rationes puto (deputo *Call.*)


postquam scripsit *ego mecum* pro *egomet mecum*, forsitan ad absoluendum uersum ei ultro occurrerit uox *deputo* quam culpæ inscius uel neglegens adhibere non dubitaverit.

116. Qua de re quidquid est, iam nunc disputationem mihi propositam concludere possum. Arbitror igitur Calliopium libro picturis instructo usum esse, quem parum litteratus ille vir recensuerit, id est arbitrio suo correxerit. Hoc est exemplar ad quod, ut ad tersum et emendatum, librorum D G archetypus collatus est, ut ex eo corrigeretur (1). Verum quoniam libri DG nunc cum C P, nunc cum FE consentiunt, oportet eos non ex Callio-

1. Maxime dubium est Calliopium ipsum librorum DG archetypum recensuisse; nam id si fecisset, aut illud archetypum diligenter per omnes partes ex suo libro emendauisset, aut hac recensione nouas induxisset correctiones. Arbitror uero equidem illum qui libros DG ex Calliopiano retractauerit, etiam notam *Calliopius recensui* mutuatum esse, quo major auctoritas atque majus pretium suo libro adderetur.

pii libro retractatos esse, sed ex exemplari quod et cum CP et cum FE propinquitate coniunctum esset : quod iudicare aequom est fuisse fratrem librorum CP atque etiam librorum FE archetypum (1).

117. Quae fuerit mea quidem sententia Terentianorum librorum cognatio et adfinitas hoc stemmate declarari potest :



1. Accidit quoque ut ex DG nonnumquam librorum FE archetypum emendatum sit, uelut u. 377. De coniunctione librorum DG cum libro F, cf. Watson, p. 165-167.

INDEX UERSUUM DE QUIBUS DISPUTATUM EST

N.-B. — Asterisco designantur loci quos mihi emendare placuit.

INDEX RERUM

Sens. - Imprimerie MIRIAM, 1, rue de la Bertauche

ERRATA ET CORRIGENDA

P.	11,	l.	8,	lege	*excutiendam*
§	59,	—	13,	—	*respuunt*
§	85,	—	2,	—	*aliquod*
§	92,	—	6.	—	*patruom*

---

§ 34. Prauis argumentis impugnaui uersum 901, qui certissimus ducendus est. Tum haud recte memoraui Demiphonem ignorare se parasiti dolis deceptum fuisse (cf. enim u. 894-899, 930-932) ; sed non dubium est quin, Phormioni incidens, primo se huius fallacias nesc re fingat, quo melius ei uerba det (910-915).

